DE

INAVGVRATIONIBVS BENEFICIARIIS
HARVM SYMBOLIS AC RITIBVS

ITEMQVE

DE INVESTITVRA
SINE LITTERIS INVESTITVRAE

LIBELLVS

PRAESIDE

IOANNE GEORGIO ESTORE


ICTO ET ANTECESSORE

PRO GRADV

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS

PROPOSITVS

A IOANNE VALENTINO WIBEL



EDITIO II. AVCTIOR ET EMENDATIOR.

MARBVRGI, EX OFFICINA MÜLLERIANA

A. R. S. cIↄ Iↄccxxxxvi.

CAPVT PRIMVM.

DE INVESTITVRA GENERATIM EIVSQVE VARIIS RITIBVS AC SYMBOLIS.

§. I.

Inueſtiturae definitio.

Inauguratio beneficiaria, quam barbari inueſtituram vocant, eſt actus, quo dominus feudi vaſallo, pietatis ſacramento ſe obſtringenti, rite tradit tum feudi dominium vtile tum eius poſſeſſionem.

§. II.

Quae exponitur. *Etymologia vocis.*

Operam nunc nauabo, vt, quae dixi, intelligant omnes. Vocabulum inueſtiturae oriundum a *veſtire*, id eſt, rem per ſymbolum praeſentare. Hoc vero ortum a *wiſt*, *viſt*, praeſentia. Enimuero apud maiores more fuerat receptum, vt donationes atque translationes poſſeſſionum ac dominiorum non ſolum chartis, ſed etiam ſymbolorum quorumdam in manus praeſentatione et traditione peragerent. Vt itaque inueſtire idem ſignificet, ac dare poſſeſſionem per ſymbolum, v. c. IOAN-

NES GEORGIVS WACHTER col. 792. *glossarii Germanici*, PRAESES p. 70. *analectorum Fuldensium.*

§. III.

Traditio Germanorum symbolica.

Ideo Germani rem, de qua conuenerat, si e manu in manum transferri non poterat, fere semper per symbolum tradere sunt soliti. Quumque Teutones tamquam respublica militaris ad militiae instituta actiones suas ordinarent, PRAESES p. 16. *obseruationum feudalium*; mirum profecto haut est, armata manu feuda praesertim fuisse tradita. Compara DAV. WILKINS *leges Anglo Saxonicas* p. 289. Hinc in promtu nunc est ratio, cur Germani, suos vasallos inaugurantes, vexillum vel gladium adhibuerint? PRAESES l. d. p. 61.

§. IIII.

Confutatur eorum opinio, qui a datis vestibus inuestituram dictam esse, existimarunt.

Quoniam vero Germanis, res immobiles non nisi corporis actu et motu tradi posse, persuasum esset, signumque tum euidens, tum etiam ad posteritatem duraturum quaererent, IO. GVIL. HOFMANN §. XIIII. *iurisprudentiae symbolicae*; vix vero videtur similis opinio IO. PETRI DE LVDEWIG *de prorogatione inuestiturae* cap. II. §. V. et BVRCHARDI GOTTHELFII STRVVII capite VIIII. *elementorum iuris feudalis* §. VI. p. 261., qua a datis vestibus inuestituram ita vocatam fuisse coniecerunt. Quis enim vidit vasallo, sollemniter inaugurato, vestem esse datam? Hoc quidem certum est, negabitque nullus, vasallos vestitu sollemni familiae principis esse vsos, id quod erudite docuit

cuit V. A. IO. PHIL. KVCHENBECKER p. 128. seq. *von den erbhofæmtern der landgrafschaft Hessen.* Sic anno cIɔccccLXXI. vasalli Hassiaci rubris adornati vestibus, *analecta Hassiaca* V. A. IO. PHIL. KVCHENBECKERI p. 377. Et anno cIɔIɔxxv. Philippus Hassiae landgrauius vasallis suis praecepit, vt veste induerentur *in gut schwartz und weis tuch nach gestalt inliegenden musters*, cetera, V. A. IO. PHIL. KVCHENBECKER lit. EEE. *der beylagen von den erbhofæmtern* p. 81. Ideo, quum comes Philippus Waldeccensis de colore vestium aulae Hassiacae anno cIɔIɔxxx. quaereret, litteras responsorias has accepit: *aber so viel die sommerhofcleidung belangt, kœnnen E. G. achten, das die erst in dieser vastenmesse bestellt wurdt, und mit was muster oder farben S. F. G. die ausgeben lassen würdt, noch nit wissen mogen. Darum werden die andern, so E. G. zugeordnet, in der windercleidung reiten* l. d. p. 82. Et Philippus Hassiae landgrauius anno cIɔIɔLXIIII. haec vasallis suis scripserat: *schicken dir - - hirbey unsere hofkleidung, - - - daß du nicht allein deine knechte in solche farbe kleidest, sondern auch du selbst für deine person die cleidung und farbe an deinen leib machen lassest*, l. d. p. 85. Praeterea Mauritius Hassiae landgrauius anno cIɔIɔcXIII. vasallis suis mandauit: *so wollest du dich vor deine person mit einem ledernen kœller und feldzeichen - - deine dienere aber sowohl reisige als kutschenknechte in unnsere livree, als violblau tuch mit weis und roth gebremet, bekleiden*, l. d. p. 104., illustris GE. DAV. STRVBE *de vestitu*

vasallorum §. 2. sq. *parergorum Goettingensium* tomo I. libro III. p. 170. sq.

§. V.

Dubium soluitur argumentum.

Recentiori quidem aetate, anno nimirum cIↃIↃcxxiii. Maximiliano Bauariae duci ab imperatore Ferdinando II. dignitate septemuirali inaugurato, donabantur pileus palliumque, et septemuiralia insignia, IO. ADZLREITTER p. 107. *annalium Boicae gentis* parte III. §. XIIII., IO. CHRIST LÜNIG parte II. *theatri cerimonialis* p. 952. Pariter anno cIↃIↃcxxxxii. imperator Leopoldus legatos Ernesti Augusti ducis Brunsuicensis pileo donauit, signo electorum dignitatis, teste eodem, volumine I. *des reichsarchivs* parte II. p. 121. Sed quis inde argumentum pro veste, inaugurationis beneficiariae symbolo, duceret? Magni sane non interest: quidquid statuas. Vtraque opinio symbolum indicat. Vestes autem inaugurationis beneficiariae tessera fuisse non videntur. Hinc mea disputatio, quae §. II. legitur, mihi ad veritatem propensior videtur. Si actum inaugurationis Eberhardi, Wirtenbergiae ducis creati, contempleris, mea esse probabilia, mecum forsan credis. Nam imperator ante inaugurationis negotium Eberhardo dedit *einen mantel eines herzogen: einen hut eines herzogen, so ihm zugehært, und auch ein schwerd, als einem herzogen zustehet*, prout docet vetus instrumentum apud IO. IOACH. MÜLLERVM *des reichstagstheatri Maximiliani I.* p. 542. *II. vorstellung.*

§. VI.

§. VI.

Germanis traditio ſymbolica in deliciis.

Quidquid demum ſit, nobis iam ſufficit, vetuſtiores Germanos, inter ferrum et arma natos, licet non prorſus ἀγράμματοι eſſent, tamen tardiores in addiſcendis litteris fuiſſe, et ideo ſymbolis muniuiſſe contractuum fidem, quo firmior eſſet obligatio et certior ratione praeſtationum. Quapropter *Gundlingiana* parte VII. p. 174. *je einfæltiger*, aiunt, *und ſimpler als ein volck iſt, je mehr ſymbola braucht ſelbiges; je mehr cœrperlicher zeichen bedienet es ſich, damit die ſache, welche dieſes ſonſten nicht ſo geſchwinde faſſen würde, ihren ſinnen deſto næher geleget werde.* Et p. 177. pergunt: *gleichergeſtalt iſt kein wunder, daß da die Teutſchen und mitternæchtiſche vœlcker keine ſcriptur in ihren handlungen gebrauchet, dieſelbe ebenfals auf ſolche æuſſerliche zeichen verfallen, denen ſie ſich bey dem endlichen ſchluß und erfüllung ihrer veræuſſerungen bedienet.* Quamuis enim poſterioris aetatis Germani litteras edocti eſſent, vtilitatis tamen cauſſa ſymbola retinuerunt, tum quoque vt ciues per eiuſmodi ſigna officii ſui admonerentur. Et hunc morem ii ſequuti, quorum regiones Germani inuaſerant. Vt adeo hi nouum quaſi ius gentium introduxerint. Et ſicut olim iura Graeca; ita deinde Germanica inſtituta paſſim recepta ſunt et nunc etiam vigent, obſeruante HVGONE GROTIO libro II. *de iure belli ac pacis* capite VIII: §. I. n. 2. Compara v. A. EVERARDVM OTTONEM *de iuris prudentia ſymbolica* exercitatione I. capite XI. p. 61. Quocirca eadem ſymbola populis erant, quotquot Germaniae,

Cur?

Inſtituta Germanica compluribus placent gentibus.

niae, gentium vaginae, ortum debent. Hinc ſymbola inueſtiturarum feudalium gladii traditio, vexilli, haſtae, ſceptri, libri, baculi et annuli. Teſſerae illae ſollemni more porrectae, monimentum factae translationis erant. De ſymbolis, Suecorum res immobiles transferentibus, egit IO. O. STIERNHÖÖK *de iure Sueonum et Gothorum vetuſto* p. 234. ſeq. Danorum ſymboli ſcotationis caput 2. X. *de conſuetudine* mentionem iniecit, quod *Gundlingiana* parte VII. p. 168. ſeqq. erudite explicuerunt.

§. VII.

Stupor et ſuperſtitio eiuſmodi ſymbolorum fontes. Excuſantur Germanorum mores.

Licet autem ſtupor et ſuperſtitio ingens eiuſmodi rituum et caerimoniarum apud gentes eo laetiorem dederunt prouentum, quo quaeque rudior eſt (§.6); Germanos tamen, quibus ex eisdem cauſſis mirae ſollemnitatum figurae placebant, pluribus defenſionibus excuſare poteris. Quum enim, vt dixi §. VI., litterarum ſecreta ignorarent, et inter ciues ſuos, quantumuis ceteris gentibus intemeratae fidei gloria eminerent, aliquos deprehendi poſſe, metuerent, quibus dictum non dictum, pactum non pactum eſſet, ſimulque poſteritati, quam ſine tabularum aliorumque ſignorum documentis actarum rerum obliuio capere poteſt, conſultum vellent; factum eſt, vt magno numero ritus et caerimonias et ſigna inuenirent, quibus ſerium et deliberatum cuiusque conſilium fortius, quam per lubricum linguae iudicaretur, promiſſique immemor redargueretur, ac denique rei peractae memoria, ſi per illorum ſignorum naturam fieri poterat,

terat, futuris temporibus superstes perennaret. Antiqui moris tenaces, symbola semel recepta, tunc quoque, quum eis tuto carere possent, retinuerunt, quin et nostrorum temporum secta quaedam conseruauit, quorum ambages, vtut superuacuas, tot annorum decursus venerabiles reddidit. IO. GVIL. HOFEMANN l. d. §. I.

§. VIII.

Desiderantur duas inaugurationis clientelaris tesseras.

Quoniam igitur Germani symbola deamabant, et duo negotia in inauguratione beneficiaria suscipiebant, quorum alterum in promittenda fide et obstringenda pietate vasallus, alterum vero dominus, qui feudum tradebat, sustinebat? nos hic tantum duo hos actus considerabimus. Symbolum fidelitatis obsequiosae erant manus et osculum, interdum quoque sceptrum, prout infra hoc docebo. Cum illis enim ego facere nequeo, qui manum esse symbolum, quo alicui feudum tradebatur, existimant. Manus fidei datae tessera, qua vasalli et regibus subditi pietatem suam obstringebant. Loca veterum scriptorum Germanicarum et Francicarum rerum, quae probant hanc rem, indicauit V. A. EVVERARDVS OTTO l. d. p. 189. *Hand* enim, per metonymiam signi, est promissum manu data, tamquam signo et symbolo fidei factum, V. C. IO. GEORG. WACHTER l. d. col. 654. Dextrae religionem gentes boreales tantum existimarunt, vt dextra data a promisso recedere nefas duxerint, teste IO. STIERNHÖÖK l. d. p. 235. Inde manum complexionis andalangi,

Fidei symbolum manus

 fre-

frequens commemoratio, et in litteris inueſtiturae ſaepiſſime leguntur verba *mit hand und mund.* Multa loca, quae huius formulae mentionem agitant, conquiſiuit et erudite expoſuit vir illuſtris CHRIST. GOTTL. BVDERVS p. 117. ſeqq. *amoenitatum iuris feudalis.*

§. VIIII.

et oſculum. Fidei exuberantis teſſera et index Germanis oſculum. Dextra non ſnfficere viſa, ſuperadditum, oſculum, quod paciſcentes mutuo ſibi porrigebant. Atque ſic et domini et vaſalli coaleſcebant animi. Audias, quaeſo, imperatorem Ludouicum IIII. Eberhardi Breubergii filias inaugurantem, apud GE. CHRIST. IOANNIS p. 411. *ſpicilegii tabularum veterum:* „ et ſuper hoc prefatas „ Mechtildim matrem, nec non Elizabeth et „ Luckardim filias, *recepto prius* ab eis et earum „ ſingulis *oſculo*, prout in talibus de iure et con„ ſuetudine fieri conſueuit, - - - inueſtiuimus. " Adde IO. GVIL. HOFFMANN. l. d. p. 18., et CAR. DV FRESNE in *gloſſario mediae et infimae latinitatis*, voce *oſculum.*

§. X.

Cultus ſignum illud oſculum, quod pomo capuli ferunt ordines imperii. Oſculi aliud genus, quo reuerentiam adhibebant aduerſus homines. Teſtantur hoc de ritu et GODEFRIDVS Colonienſis ad annum CIↃCLXXV. p. 246. et ACERBVS MORENA p. 837. *hiſtoriae Laudenſis*, qui Mediolanenſes imperatorem Fridericum I. perofficioſe reueritos fuiſſe per oſcula pallii

pallii eius et pedum, memoriae prodiderunt. Compara IO. ERID. MAYERVM *de osculo pedum pontificis* capite I. §. IIII. Et reuerentiae signum censerem illud osculum, quod in ritu inaugurationis ordines regni, vel horum legati ferunt pomo capuli, idque digitis contingunt. Ita enim legatus quidam in narratione do ritu inaugurationis, quam foras edidit IO. CHRIST. LÜNIG parte I. *corporis iuris feudalis* col. 92. *und insonderheit den knopf dargereichet, den ein jeder mit zuvor mit credentzten fingern angerühret, und folgends geküsset.* Audias quoque illa, quae narrauit IO. SEBAST. MÜLLER p. *annalium Saxonicorum: da wolte zwar der Weisenfelsische gesandte, des schwerds knopf zu küssen, aufstehen, nachdem aber der Kayser mit der hand zu verstehen gab, daß der kuß kniend verrichtet werden müste*, cet.

§. XI.

Alius denique exosculandi ritus, quando domini feudi eos vasallos, qui e numero superioris nobilitatis erant, inter inaugurationis beneficiariae sollemnia dissuauiabantur. Cuius rei exempla dedit vir illustris CHRIST. GOTTL. BVDERVS l. d. Alia igitur oscula, quae domino feudi dabant vasalli, alia, quibus impertiebant domini vasallos. Ad hanc classem referendum exemplum septemuiri Saxonis, qui ita inauguravit anno cIↃIↃLVIII. Mansfeldensem comitem: *hierauf hat der churfürst zu Sachsen dem grafen persœnlich mit der hand die lehn zugesaget, und den grafen zum*

Id cum alio osculi genere non confundendum.

zeichen als seiner C. F. G. getreuen lehenmanne, wie gewœhnlich umfangen, und auf einen backen gekiisset, celeberrimus BVDER l. d. p. 121. et IO. CHRIST. LÜNIG parte III. *corporis iuris feudalis* col. 721. seq., qui addit *den fusstritt und backenstreich.*

§. XII.

Illustrantur dicta de manus et osculi tesseris.

Symbola et manus et osculi cum perspicue tum diligenter exposuit illustrissimus comes LVDOV. SIGFRID. VIZTHVM AB ECKSTAEDT *de feudis ligiis* §. XVIII. p. 46. seqq. Qui autem communis primum fuit omnibus vasallis ritus inuestiendi, temporis successu ligiis praecipue frequentari coepit. Hi enim, vti dominis suis arctiori vinculo adstringebantur, ita implicatis manibus ligatisque pollicibus sacramentum fidelitatis solebant praestare. Quod et consuetudines feudales passim, et formulae iurisiurandi quam plurimae comprobant, quae, adhibita illa sollemnitate, a vasallis pronuntiatae fuerunt. Ita seruasse hunc morem reges Angliae erga Franciae reges, legimus, ob ducatum Aquitaniae, cuius ratione se vasallos ligios sunt professi. Eodem modo Vrsus, Nolae et Atribaldi comes, Ferdinando, regi Neapolitanorum, fidelitatem iurauit. Neque vsquam facile luculentius huius rei exemplum deprehendas, quam in ritu, quo Philippus, archidux Austriae et Burgundiae dux, de comitatibus Flandriae et Artesiae, a Guidone de Rochefort, cancellario Galliae, Ludouici XII. regis nomine, Atrebati fuit inauguratus. Ne quid dicam de Anto-

Antonio et Carolo, ducibus Lotharingiae, quorum alter Francifco I. alter Ludouico XIII. regibus Galliae ob ducatum Barri fimile iusiurandum iurauit. Velim quoque infpicias imaginem, quae aere expreffa habetur parte III. des *monumens de la monarchie Françoife* BERN. DE MONTFAVCON. Ibi autem confpiciuntur rex Galliae Carolus V. et dux Borbonius. Ille in folio fuo fedet, pallio regio amictus, liliis confperfo, adfutis murium Ponticorum pellibus, coronam capite geftans. Ludouicus II. dux Borbonius, ambas manus iunctas, intra regis manus inferit, genu flectens, quoddam ceu fertum capite geftans, infignibus fuis veftitur, pugionemque habet, ab zona pendentem. *Exemplo Borbonii ducis.*

Eadem imago, in tabula aere expreffa, confpicitur apud CLAVDIVM FRANCISCVM MENETRIER *de la cour du roy Charles V. furnommé le fage et de reine Jeanne de Bourbon*, et in *actis eruditorum*, quae Lipfiae anno R. S. cIↃIↃLXXXIII. edita, p. 261. Eft vero tabulae huius argumentum follemnis caerimonia, qua LVDOVICVS II. dux Borbonius nomine Claromontani in Ballouacenfi dictione comitis, temporibus Borboniorum apanagio, homagium Carolo V. regi Galliae praeftat; funtque in ea viginti quatuor perfonae obferuandae.

I. Rex CAROLVS, in throno fedens, indutus habitu longo liliis perfperfo, cum collari ex vellere murino (*d'hermine*), cui annexum eft capitium, feu cucullus, fecundum morem illius temporis. Corona eius aperta eft, et ex fex depreffio- *Curia regia et veftitus, armis gentilitiis diftinctus.*

pressioribus liliorum floribus, prout priores Franciae reges eam gestarunt, etiam antequam lilia coeperunt esse Francici regni insignia.

II. Ludouicus II. dux Borbonius, amictus tunica liliata, cum baculo rubro, velut nota adscititia (brisure) domus Borboniae. Haec tunica munita est vellere murino, et reuincitur balteo crasso per fibulam adstricto. Capiti circumcingitur corona, siue sertum rosaceum equestris ordinis insigne (chapellet de chevallerie) quod capillos subligat. Cuiusmodi corollae in pluribus simulacris vetustis conspiciuntur, de quibus MENESTRERIVS in eroticis antiquis sub titulo *chapelet* consulendus. " Hic princeps iunctas manus „ suas regis immittit manibus, qui eas comprimit; id quod signum fidei ac homagii est, dominis et superioribus, a quibus cum onere vasallagii feuda recipiuntur. „

III. A laeua solii regii DELPHINVS est, qui regnum postea sub nomine Caroli VI. tenuit. Togam gerit Franciae et Delphinatus insignibus quadripartitam, ex pacto cum Humberto Delphino Viennensi, qui ea conditione Ioanni regi Delphinatum concesserat, inito. Innititur dextra throno tanquam praesumptus regni heres.

IIII. Dux Aurelianensis Delphini, ad ipsum respicientis, frater, vestitus toga liliata cum lambella argentea, velut adscita nota ordinaria filiorum regiorum postgenitorum, qui Aurelianensium ducum titulo gaudent.

V. Po-

V. Pone teneros hos duos Principes consistunt tres fratres regis. Ludouicus I. dux Andegauensis, posteaque rex Siciliae, indutus toga liliata cum limbo rubro, ascito charectere filiorum regiorum nominis Andegauensis.

VI. Philippus II. dux Burgundiae, togam quadripartitam habens insignibus Niuerni et Burgundiae, quae nunc Burgundia hodierna et vetus appellantur. Burgundiam hodiernam sparsa lilia indicant cum limbo argenteo: Burgundiam veterem laterculi aureis et caeruleis fasciis a dextra deorsum exarati, (bandé d'or et azur) cum limbo rubro.

VII. Ioannes dux Biturigum, vestitus, vt frater, toga liliata, cum limbo serrato seu denticulatim inciso (engrestée) tanquam ascititia nota filiorum regiorum nominis Bituricensis.

VIII. Ioannes Artesius, comes Augensis (d'Eu) a Roberto Ludouici sancti Franciae regis fratre oriundus, post thronum regis consistit, illique innititur, cubicularii hac occasione munus exercens. Vestitus est habitu liliato, cum lambella seu fascia trifida nouem castellis distincta (chastelé de neuf pieces) velut nota aduentitia comitum Artesiae e regia Franciae domo.

VIIII. Cancellarius pariter post regis thronum iurisdictionis signum, manu tenens. Vestitus est clerici habitu, cum corona seu serto rosaceo equestri. A tergo duos habet libellorum supplicum magistros cum cucullis, post quos iterum adstat clericus quidam seu eleemosynarius.

Omnes

Omnes hae perſonae editiorem locum occupant: inferiorem vero comeſtabilis, duo mareſchalli Franciae, ſummus machinarum bellicarum praefectus, et thalaſſiarchus.

X. Comeſtabilis eſt Bertrandus Gueſclinus, inſigne ſuum aquilam nempe duorum capitum coronatorum, cum faſciola rubra totum ambiente (cottice de gueules qui broche ſur tout) prae ſe ferens. Longiorem baculum gerit, velut characterem iurisdictionis ſuae; et in vita ducis Borbonii legitur, quod regi prandenti cum eiusmodi baculo adfuerit.

XI. Poſt illum mareſchallus Ludouicus Sancerranus comparet, quem e domo Campanica (de Champagne) fuiſſe manifeſto arguunt inſignia, faſciolae nempe duae alternis utrinque patilibus diſtinctae (deux cottices contre-potence) cum lambella rubra, tamquam nota aſcita minorum natu e Campanica domo.

XII. Mouton de Blainville, alter mareſchallus, in inſignibus togam praefert caeruleam cum cruce argentea, aureisque minoribus aliis, cum faſcia rubra circumfuſa.

XIII. Poſt duos hoſce mareſchallos conſpicitur Hugo Caſtillonius, Dampetrae dominus, lineae Dampetrinae, ex poſtgenitis comitum de Porcean. Dignoſcitur ex armis Caſtilloniorum gentilitiis, quibus pro ſymbolo poſtgeniturae additi ſunt leunculi duo, frontem ſibi invicem obuertentes. Supremus is magiſter fuit balliſtariorum, quae dignitas, poſtquam tormentorum aliorum-

que

que armorum flammantium vſus inualuit, in ſupremam rei tormentariae praefecturam mutata eſt.

XIIII. Vltimus ab hoc latere eſt Ioannes Viennenſis Franciae archithalaſſus, cum toga rubra et aquila aurea bicipiti.

Dux Borbonius comites in his ſollemnibus habuit dominos de Beaujeu, Chaumont, Trie, Borbonium nothum, de Monchy, de Norry, et de Nedonchel.

XV. Eduardus Belliiocenſis de (de Beaujeu) dynaſta in Perreux noſcitur ex inſignibus, leone nigro cum lambella rubra.

XVI. Poſtgenitus quidam e domo Caluomontia (de Chaumont) in Vexino, ex faſciis ſuis rubris et lambella caerulea.

XVII. Aegidius Nedonchelius, cubicularius ducis Borbonii, qui ſuper baculo eleuat claues caſtellorum comitatus Claromontani, quorum nomine dux Borbonius regi praeſtat homagium. Togam gerit caeruleam cum argentea a dextro faſcia, quod ipſius eſt inſigne.

XVIII. A tergo ipſius eſt dn. Reginaldus de Trie, eques, dominus de Pleſſis, togam geſtans auream cum rubra a dextro faſcia, quam interſtinguit faſcia alia argento-caerulea, pour briſure, cum merula in angulo dextro, pour contrebriſure.

XVIIII. In medio conſiſtit Ioannes nothus Borbonius, ducis frater naturalis. Indutus eſt candido amictu cum quadrante inſignium Borbonium, pro more illius temporis; quum ordina-

rie liberi naturales nonniſi quartam partem inſignium paternorum gererent. Nam vt minores natu ex legitimo matrimonio paterna et materna inſignia quadripartito ſecabant, vt diſtingui a primogenitis poſſent: ita liberis naturalibus quadrans tantum inſignium paternorum ob vitium natalium concedebatur.

XX. Petrus d'Auxy, dominus de Monceaux, poſt dominum de Trie emicans, togam habet auro minioque teſſellatam, velut inſigne ſuum. Cubicularius is fuit ducis Burgundiae, et capitaneus Duaci; qui idem praeſto quoque fuit, quum Ludouicus Andegauenſis eidem regi, fratri ſuo, in Baſilica S. Pauli Pariſiis d. 19. martii anno 1374. fidei ſacramentum praeſtaret.

Is qui toga rubra cum faſcia argentea indutus eſt, incognitus MENESTRERIO fuit, habitus tamen de domo de Norry, eiusmodi inſignia gerente.

§. XIII.

Iisdem ſymbolis vſi Galli, inaugurantes Philippum, archiducem Auſtriae et Burgundiae ducem.

Faciam quoque, vt legas alia, quae de his ſymbolis nitidiſſimo ſtilo commentatus eſt GABRIEL DANIEL parte IIII. de *l'hiſtoire de France depuis l'etabliſſement de la monarchie Françoiſe dans les Gaules*, vbi ad annum CIƆCCCCLXXXXVIIII. ita loquitur: Il y eut dans cette ceremonie des circonſtances aſſez remarquables pour auoir place dans l'hiſtoire, d'autant plus que c'étoit vne choſe extraordinaire, que le comte de Flandre, l'unique qui reſtoit des anciens grands vaſſaux de la couron-

couronne, ne fit pas ſon hommage *entre les mains* du roy même. Le chancelier y ſoutint parfaitement et auec dignité l'honneur de la perſonne royale qu'il repréſentoit. On prepara pour le vendredy cinquiéme de Iuillet la ſeconde ſalle du palais epiſcopal. On y mit vne eſtrade a deux dégrez, et on plaça deſſus un ſiége couuert d'un tapis fleurdeliſé. Vn gentilhomme nommé Thomas de Pleure, et quelques autres officiers de l'archiduc vinrent ſur les dix heures du matin auertir le chancelien en ſa chambre, que le prince étoit en chemin pour ſe rendre à l'eueché: il répondit que, quand il ſeroit arriué au lieu, ou il deuoit rendre hommage, on ne le feroit pas attendre. Vn peu aprés d'autres officiers arriuérent, et luí dirent que l'archiduc étoit dans la premiére ſalle. Il les écouta et demeura en ſa place. Enfin les ſeigneurs de la Grutuſe et de Frameſelles lui annoncerent que le prince étoit dans la ſeconde ſalle, ou il deuoit faire l'hommage. Alors le chancelier ſortit de ſon apartement, qui joignoit la ſalle, *vêtu d'une robe de velours cramoiſi*, *le chapeau en tête*, précédé d'un huiſſier du grand conſeil, qui portoit ſa *maſſe* haute et découuerte, & de deux rois d'armes du roi, vétus de leurs cotes d'armes, et ſuiui de quelques maîtres des requêtes et des ſecrétaires du roy. « L'archiduc ſalua profondément le chancelier en ſe decouurant, et lui diſant: « Monſieur, *dieu vous doint bon jour*; et ce magiſtrat ſans dire mot, et ſans ſe découurir, portant ſeulement *la main à ſon chapeau*, s'aſſit dans le ſiege

qu'on lui auoit preparé. Auſſitôt l'archiduc *tête*
„ *nüe* s'aprocha et dit : „ Monſieur , je ſuis icy
„ venu deuers vous, pour faire l'hommage que
„ tenu ſuis faire à Monſieur le roy touchant mes
„ pairies et comtez de Flandre, d'Artois et de
„ Charolois, lesquelles tiens de Monſieur le roy,
„ à cauſe de ſa couronne. " Le chancelier demeurant aſſis et couuert, lui demanda : „ s'il
„ auoit ceinture, dague, ou bâton. " L'archiduc en ouurant ſa robe, qui étoit ſans ceinture, répondit que non. En même temps le chancelier LVI PRIT LES MAINS QV'IL AVOIT IOINTES, ET LES MIT ENTRE LES SIENNES. L'archiduc s'inclinant, comme pour ſe mettre à genoux, le chancelier l'en empêcha, en lui diſant : il ſuffit de vôtre bon vouloir ; ET LVI TENANT TOVIOVRS LES MAINS DANS LES SIENNES, il lui fit la queſtion acoutumée. Vous deuenez homme du roy votre ſouuerain ſeigneur, et lui faites FOI ET HOMMAGE LIGE pour raiſons des pairie et comté de Flandre, et auſſi des comtés d'Artois et de Charolois, et de toutes autres terres que tenez du roi et de ſa couronne, lui promettez de le ſeruir jusques à la mort incluſiuement ENVERS ET CONTRE TOVS CEVX QVI PEVVENT VIVRE ET MOVRIR, SANS NVL RESERVER; de procurer ſon bien, et euiter ſon dommage, et vous conduire et acquitter enuers lui, comme enuers vôtre ſouuerain ſeigneur. A quoi fut répondu par
„ l'archiduc; „ *par ma foi ainſi le promets, et ainſi*
„ *le*

le ferai. " Le chancelier reprit en disant ces " mots: *Et je vous y recois, sauf le droit du roi en autres choses, l'autrui en toutes.* „ Il lui présenta en même temps *la jouë*, et *le baisa.* " L'archi- " duc demanda *acte*, et les *lettres* de la *réception*, de son *hommage*, que le chancelier commanda au secrétaire Amys de lui expédier. Après toutes ces formalitez, le chancelier *se leua, ota son chapeau* et *le bonnet*, ou calotte qu'il auoit dessous, fit vne profonde réuerence au Prince, et lui parla de cette sorte: *Monsieur, je faisois n'a gueres office de roy*, représentant sa personne, et de present je suis Guy de Rochefort vôtre trés-humble seruiteur, toûjours prêt de vous seruir enuers le roy mon souuerain seigneur et maître en tout ce qu'il vous plaira me commander. L'archiduc repondit: *Je vous remercie*, Monsieur le chancelier, *et vous prie qu'en toutes mes affaires enuers mon dit sieur le roy, vous me veuillez toûjours auoir pour recommandé.*

§. XIIII.

Ritum, quem ex Gallorum moribus dilucidaui, nunc quoque Italorum institutis illustrabo, vt ea, quae de Vrso comite dixi, fiant clariora. Totum ritum accurate descripsit IO. IOV. PONTANVS, de *bello Neapolitano* libro II. p. 1837. seq. tomo VIIII. *thesauri antiquitatum et historiarum Italiae*, cuius verba hic subiicere e re mea duxi: „ Vrsus Neapolin ad regem profectus, " iurauit de more Neapolitanorum regum in eius " verba. Ritus vero iurandi, verborumque " " huius-

Italorum mores hac de re percensentur.

„ huiusmodi est formula: *Sedet rex medius regia in*
„ *sella*, editiore loco constituta. *Assident* iuxta primi
„ ordinis *optimates*, ac *proceres*. Stant inde *pur-*
„ *puratorum frequentes ordines*, loco quisque suo:
„ regis ad pedes, genibus innitens, a dextra pro-
„ cumbit parte *epistolarum magister*, qui nunc se-
„ cretarius dicitur: sinistra antistes, euangelio-
„ rum libros, regio in sinu astratos, tenens.
„ Horum medius *genibus* et ipse ille innisus *pro-*
„ *cumbit*, qui in verba *iurat*, vtraque *manu* libris
„ adapertis imposita. Ibi epistolarum magister
„ verba praeit: quae iuraturus in verba, sequi-
„ tur. Igitur posteaquam Vrsus regios ad pedes
„ *prouolutus*, *palmam in codice vtramque expansam*
„ statuit, tum magister praeire verba haec coepit,
„ Vrsusque ea est secutus: Vrsus ego Vrsinus,
„ Nolae et Atribaldi comes, Asculi, Lauri, ac
„ Forini dominus, illorumque et agrorum et fi-
„ nium, ciuium atque popularium, *tibi Ferdi-*
„ *nando regi*, *liberisque successoribusque in regno*
„ *Neapolitano tuis polliceor*, *promitto*, *spondeo pro*
„ *liberis*, *successoribusque in hisce item vrbibus*, *op-*
„ *pidis*, *agris finibusque meis*, *fidelem meque illos-*
„ *que vtique futuros*, *tuisque illorumque imperiis*
„ *vbique*, *meque illosque parituros*, *atque imperata*
„ *facturos*, *cum hisce vrbibus*, *oppidis*, *agris*, *fini-*
„ *bus*, *popularibusque perpetua cum constantia et*
„ *fide*. *Si quid vero aduersus te ire*, *illosue parari*
„ *fraudis*, *doliue*, *insidiarumue audiero*, *sciero*,
„ *compertumue*, *significatumue habuero*, *indicatu-*
„ *rum illud e vestigio ac facturum palam tibique illis-*

„ *que:*

que: officia demum obiturum, meque, illosque “
omnia domi, forisque pace, belloque aduersum “
quoscunque, ac pro imperio, quae probi, et fidelis “
subiecti iure, lege, natura, obeunda ac praestan- “
da sunt regi. Deumque his optimum maximum “
testem innoco, perque sacrosancta haec euangelia “
sciens, volens, libensque verbis conceptis iuro. “
Atque his dictis, manus ipse e libris sustulit. “
Tum rex Vrsi *manus* vtriusque digitis pollici- “
busque *apprehensis*, suosque intra *pollices* iis in- “
sertis, deuinxit illos suis, statuitque super euan- “
gelia. Hic rursum Vrsus, magistro praeeunte “
verba: Ego me, inquit, cum liberis, successo- “
ribusque meis, Ferdinandi regis mei domini “
mei, liberorum, ac successorum eius, *ligium* “
hominem statuo, dedicoque, eumque me hic “
sisto. Haec ter vbi dixit, regios *osculatus est* “
pollices, rexque *ore* suo illius *os excepit*, mox- “
que comiter appellatum dimisit. Hic est vsita- “
tus iurandi mos in verba regum Neapolitano- “
rum: quique ligios illorum se faciunt, ipsum “
hunc seruant, dicti inde ligii, quod ligatis reges “
pollicibus, illos fidei, imperiisque sic suis vin- “
ciant, atque obnoxios statuant. “

§. XV.

Traditio feudi symbolica.

Iam alterum negotium, quod in ritu inaugurationis peragitur, videlicet traditio dominii vtilis et possessionis feudi per symbolum, siue per notam quamdam corporalem, et factum externum, quod negotio huic feudali adhibetur, ad feudi

Quid symbolum? Quid symbolica traditio?

feudi possessionis traditionem significandam. Enimuero symbolum est res, occulti aliquid denotans, qua visa vel audita, id, quod significatur, animo statim coniicere licet. Symbolica autem traditio iureconsultis Romanis est modus adquirendi iuris gentium, quo mutua voluntate rei alicuius possessio, perque hanc dominium, sine corporali translatione, interueniente symbolo quodam, rem tradendam repraesentante, ex iusta caussa, ad dominium transferendum habili, in accipientem transfertur, BERNH. LVDOV. MOLLENBECIVS *de traditione symbolica* p. 9. Cuius forma, ex Romanorum placitis, in eo consistit, vt primum loco rei tradendae symbolum aliquod, illam repraesentans, tradatur; deinde vt symbolum v. g. in conspectu horrei, quo res tradenda seruatur, porrigatur, L. 74. D. *de contrahenda emtione*, §. 45. *instit. de diuis. rer.*, vel in re praesenti L. 1. §. 21. D. *de adquirenda vel amittenda possione*.

§. XVI.

Differentia iuris Romani et Germanici.

Discrepat autem Germanorum iurisprudentia a Romana, quod illa rei praesentiam non desideret. Quapropter IO. GOTTL. HEINECCIVS p. 222. *elementorum iuris naturae* Germanicae originis gentes acutiores hac in re fuisse, existimauit, quippe quae in traditionibus et inuestituris res fere quascunque pro arbitrio, at praecipue tamen festucam, baculum, culmum, caespitem, arbusculam, chirothecam et similes res adhibebant, IOAN. GEORG. ECCARDVS ad *pa-*

ctum

ctum legis Salicae p. 91. Aliud Germanicorum morum discrimen a Romanis est, quod non omnes traditiones priuatim fierent, sed pleraeque in iudicio vel mallo publico, quod a tungino, id est, decano vel centenario indicebatur sub scuto, adhibitis tribus hominibus, procul dubio scabinis vel saltim ingenuis. *Lex Salica* titulo XXXXVIIII. p. 91. ibique ECCARDVS. Confer PRAESIDIS *anfangsgründe des gemeinen und reichsprocesses* §. 2361.

§. XVII.

Ex quibus iam clarissime patescit, cur inaugurauerint domini suos clientes in praesentia parium curiae, et cur inuestitura ordinum, praesentibus septemuiris, hisque a caesare, vt mos in iudicio principum ferebat, rogatis, fuerit peracta? *Cur inuestitura iudicialis actus?* Audias hac de re narrationem de inauguratione Augusti, septemuiri Saxonis, quam edidit IO. CHRIST. LÜNIG parte II. *theatri caerimonialis* p. 950: *darauf ire kays. maj. iren* F. G. (septemuiris) *gnædigst erlaubet und befohlen, aufzustehen, volgend die churfürsten und deren gesandten von irer session aufgefodert, welche mit unterthænigster reverentz nahet zu irer Kay. Maj. getretten, haben ire Kays. Maj. sich mit iren Churf. G. unterredet, und nachdem ein jeder churfürst wiederum an seinen ort gesessen, den abgefertigten fürsten - - - ungefehrlich nachfolgende kurtze - - antwort geben lassen.* Confer. PRAESIDIS libellum *de iudicio principum* §. 19. 41. seq. et eiusdem *anfangsgründe des gemeinen und reichsprocesses* l. d.

§. XVIII.

Symbola vſitata et trita gladius, vexillum et ſceptrum.

Maxime vſitata et peruulgata ſymbola in ordinum inauguratione beneficiaria erant vexillum, ſceptrum et gladius. Figuras vexillorum dedit IO. MICH. HEINECCIVS p. 199. *de veteribus Germanorum aliarumque nationum ſigillis.* Eiuſmodi inaugurationes deſcriptae leguntur v. g. parte III. *analectorum Haſſiacorum* V. A. IO. PHIL. KVCHENBECKERI p. 63. ſeq. et apud IO. IOACH. MÜLLERVM *im reichstagstheatro Maximiliani I. II. vorſtellung* capite LVI. p. 510. capite LVII. p. 514. capite LVIII. p. 516. ſeqq. et capite LVIIII-LXVI. Ceterum NICOL. HIERON. GVNDLINGIVS de *feudis vexilli* eruditiſſime eſt commentatus. Compara etiam PHIL. GVIL. ALB. TIMOTH. LINCKERVM DE LÜTZENWICK *de vexillis et eorum in feudis vſu*, Erfordiae anno cIↃIↃCCXXX. et IO. MICH. WEINRICHIVM *de vexillis* capite III. §. IIII. p. 74. ſeqq.

§. XVIIII.

Vſus ſceptri.

Sceptri vſus tum apud proceres laicos tum eccleſiaſticos fere promiſcuus erat; id quod octodecim exemplis erudite docuit GOTTL. SAM. TREVER *de inueſtitura per ſceptrum feudis eccleſiaſticis et ſaecularibus communi* §. VIII-XIIII. Quem tamen opinio in eo fefellit, quum ſceptrum praeſtitae fidelitatis ſymbolum fuiſſe, adfirmauit, ac illud traditi feudi teſſeram eſſe, negauit. Equidem non abnuo, ordines eccleſiaſticos etiam per vexil-

Confutatur Treuerus.

lorum

lorum ſymbola fuiſſe inauguratos, prout de Moguntiaco ſeptemuiro hoc docet narratio anno cIↄccccLXXXVI. perſcripta, et p. 525. ſeqq. partis IIII. *ſelectorum* SENCKENBERGIANORVM edita. Et hoc probe ſcio, imperatorem Carolum V. Waltherum de Cronberg, ordinis Teutonici magiſtrum, et per vexilla et per ſceptrum inaugurauiſſe, IO. CHRIST. LÜNIG parte I. *corporis iuris feudalis* col. 415., V. C. IO. DAVID KOEHLER parte III. p. 32. *der müntzbeluſtigung*.

§. XX.

Rem ita narrant: *endlich gab er ihm auch als einem geiſtlichen fürſten den ſcepter zu berühren.* Hoc facile largior, quod tactio ſceptri fidei obſequioſae teſſera dici queat. Ab hac tactione autem diſcrepabat inueſtitura per ſceptrum, quippe quod traditae poteſtatis erat ſymbolum. Hic ego loquor de inueſtitura, quae fiebat per ſceptrum, vt ait imperator Wenceslaus in inſtrumento inaugurationis, quod dedit Guilielmo Gelriae duci. Ita ſimili modo imperator Henricus VII. anno cIↄcccXIII. Amadeum Sabaudiae ducem cum ſceptro inueſtiuit, quod teſtantur litterae beneficiariae apud SAMVELEM GVICHENON in *hiſtoire genealogique de la maiſon de Sauoye* I. *preuves* p. 137. Clariſſima haec facit diploma imperatoris Ludouici IIII. apud GEORG. CHRIST. IOANNIS p. 404. *ſpicilegii tabularum veterum*: "et quia prefatus Ebirhardus pro feodo huiusmodi preſtitit fidelitatis et homagii debitum ſacramen- "tum,

Sceptrum inueſtiturae, non fidelitatis ſignum.

„ tum, ipsum de prefato feodo *per baculum*, quem „ manu gestamus, sollempniter, vt moris est, „ inuestiuimus. " Carolus IIII. caesar, quum Austriae duces inauguraret, sceptro, ait, nostro imperiali inuestiuimus - - -, apud illustrem ADAMVM FRIDER. GLAFEY p. 103. *anecdotorum.* Idem Wernherum comitem de Homberg inaugurans, „ te, inquit, Wernherum - - - *virga* nostra, vt moris est, sollempniter inuestiuimus, „ l. d. p. 292. "

§. XXI.

Quid sibi velit pontificis opinio de feudis sceptri?

Et quoniam prouincias ecclesiasticas ab imperatore tradi principibus ecclesiasticis, noluit pontifex; ideo placuit Calixto II. pontifici maximo, vt potestatis saecularis siue regalium symbolum esset sceptrum. Etenim, si sceptrum sacramenti fidelitatis tesseram statuas, sequitur, vt sceptri vsus numquam potuisset omitti, quod tamen saepissime factum tradunt veteris aetatis complura monimenta. Ne autem sacri principes partim vilioris viderentur conditionis, quam laici, partim quia feuda saecularia possidebant; contemnere maluerunt pontificis opinionem, et vetera Germanorum instituta sequi, adeoque tritum et vsitatum per vexilla inuestiendi ritum seruare. Compara ANTONIVM MATTHAEVM libro II. *de nobilitate* p. 653. seqq.

I.

Fabrica pontificum ad fallen-

Obiter moneo, pactum illud imperatoris Henrici V. et Calixti II. pontificis, quod edidit

dit CAESAR BARONIVS parte XII. *annalium ecclesiasticorum* p. 127. editionis Venetae, de feudis sceptri agens, haud genuinum esse. De hoc tamen ex graui historicorum testimonio certo constat, conuenisse inter vtrumque, vt Germaniae antistites electi ante omnia regalibus inaugurentur, et postea demum confirmationem et consecrationem, vel, vt de abbatibus loquimur, benedictionem obtineant. Sed hodiernus praesules inuestiendi ritus vsui vetusto et ordini parum respondet. Etenim imperatores Henricum V., Lotharium Saxonem, Conradum III., Fridericum I., Henricum VI., Fridericum II. Germanicos antistites, nondum confirmatos, ritu beneficiario inaugurauisse, docuit IO. GVIL. HOFFMANN *de concordato Henrici V. et Callisti II. de inuestituris episcoporum et abbatum* §. VIII-XVII. p. 28. seqq. At Lugdunense concilium et inimica iuribus imperatoriis constitutio Gregorii X. pontificibus, ad ius confirmandi ante inuestituram magno spiritu nitentibus, robur addidit, et praesules, priusquam de regalium receptione cogitarent, ad impetrandam confirmationem, sollicitudinem suam mature intendere, iussit. Rudolphus I. eiusque successores de suo iure decessisse, manifestum est. Solus Rupertus de vindiciis pristinorum iurium cogitauit, qui ante confirmationem pontificiam, Ioannem Herbipolensem et Albertum Bambergensem

dos imperatores ratione inaugurationis praesulum per sceptrum.

antistites ritu inaugurauit beneficiario, testibus LAVRENTIO FRIESIO p. 681. *der Würtzburgischen geschichtschreiber* IO. PETRI DE LVDEWIG, et MARTINO HOFFMANNO p. 223. *annalium Bambergensium.*

II.

Vestitus principum, in inaugurationibus sollemnis.

Sumtuosum valde fuisse principum veterum habitum, iam notauit V. A. IO. PHIL. KVCHENBECKER p. 132. *der nachricht von den Hessischen erbhofæmtern.* De Rudolphi Anhaltini vestitu vetus quoddam instrumentum haec habet: *Graf Rudolffs kleider sein gewesen, braun damasten, einen langen rock und mantel bis auf die erden. Der mantel in der seiten offen, und der rock mit den langen schlitzen bis an die binde, und einen braunen damasten hut. mantel rock und hut, alles mit schwanen unterfüttert. Den hut mit einem aufschlage forne. Also haben müssen alle fürsten und landgrafen und marggrafen gekleidet seyn, ausgeschlossen die churfürsten,* IO. IOACH. MÜLLER p. 553. *des reichstags theatri Maximiliani* I. parte I., qui p. 556. addidit: *Ein herzoglich kleid war ein rother atlasser mantel, durchab bis auf den fuß zu einer seiten offen, mit laßatz unterfüttert, und oben daran ein übergelegt goller von laßatz bis auf die achsel, und unter demselben ein rother rock nach gefallen, der auch an der seiten, da der mantel offen, gezieret nach belieben. Item auf dem haupt ein rother atlasser hertzog-hut, mit lassatz überstupet;*

pet, einer zwerchen hand breit. Der landgrafen kleid war ein brauner damaſtener mantel, durchaus bis auf den fuß zu einer ſeiten offen, gefüttert von grauen ſehe, bis auf die achſel; der hut von braunem damaſt, forne mit einem ſehenaufſchlag, wie die mardern-hauben gemeiniglich getragen werden. Der marggrafen kleitung war ein brauner damaſtener mantel, in der længe, wie jetzt geſagt, mit bundwerch, ſehewannen genanntt, gefüttert, mit einem goller oder überſchlag deſſelben bundwercks, bis auf die achſel; der hut auch von braunen damaſt, deſſen überſchlag forn von bundwerck. Der ertzbiſchœffliche habit war ein langer mantel von roſinfarbe, von beiden ſeiten offen, mit laßatz gefüttert, und einer kappen auf der achſel, alsdann dergleichen prelaten zu tragen pflegen, und die zugehœr auch mit laſſatz unterfüttert. Die biſchoffe ſo fürſtl. land und lauthe hatten, als Bambergk und Würtzburgk, trugen lange braune roecke mit grauen ſehe unterfüttert, und eine kappen um den halß, auch mit grauen ſehe gefüttert. Die gemeinen biſchoffe trugen braune lange roecke von bundwerck oder ſehewanden gefüttert, wie auch die kappen.

§. XXII.

Sed de his ſatis. Iam monendum inueſtiturae vocem in *feudorum vſibus* duplicem ſignificatum potiſſimum habere, alterum nempe, qui ipſam notat poſſeſſionem, alterum, qui actum illum ſollem-

Quid inueſtitura iure Langobardico? Vſus di-

ſtinctionis inueſtitu rae pro- priae et ab- uſiuae nul- lus. ſollemnem indicat, qui domini vaſalliqùe ius peculiari modo inuicem ſtabilit. Quapropter ſuperuacanea diſtinctio eſt in propriam et abuſiuam, quam ex II. *feud.* 2. tantum non omnes elicere ſunt conati. Vt adeo recte IOANNES NIC. HERT parte II. *de feudis oblatis* §. XXXVI. p. 551. eam multorum errorum, tricarum et difficultatum matrem vocauerit. Veram appellat vulgus eruditorum, quando res ipſa traditur, v. g. poſſeſſio terrae ſuper ipſam terram traditione glebae, ab ipſa reuulſae. Impropria illi eſt, quum ſymbolum adhibetur, veluti gladius, haſta, vexillum, annulus, aut aliud pro vario variorum locorum more. Aſt quis non videt, omnem inueſtituram hoc ſenſu impropriam eſſe, etiam illam, quae glebam tradit pro agro? Etenim et haec eſt repraeſentatiua, IO. GEORG. WACHTER l. d. col. 792.

§. XXIII.

Feudi conſtitutio et traditio. Poſthaec feudalium interpretum philoſophia venit conſideranda, qua duplex in γένεσι feudorum pactum concurrere, tradunt, quorum primum in dominio feudi transferendo conſiſtere, altero vero *Quid haec?* ipſum feudum tradi, exiſtimant. Huius rei vſus in eo conſpicitur, quum de ſimultanee inueſtitis ſermo eſt. Conſtitutionem feudi ſubſequitur traditio. Vaſallus enim dominii rite conſtituti exercitium ipſa rei feudalis poſſeſſione conſequitur, cuius in alterum legitime facta translatio vocatur traditio. Fiebat haec quibusdam ſollemnibus, quibus animum transferendi feudum in alium ſigni-

ſignificabant. Hoc negotium vocarunt inueſtituram, qua dominus feudum in alterum ſub nexu fidelitatis ſollemniter transferebat. V. A. GEORG. LVD. BOEHMER *de inueſtiturae ſimultaneae euentualis non deſideratae renouatione* capite I. p. 5. ſeq.

§. XXIIII.

Interea Germani, quum de adgnatorum ſucceſſione quaeſtio eſſet, poſſeſſionem feudi et ipſius feudi dominium vtile diſtinxerunt, et vtrum per inueſtituram ipſum feudum, an eius poſſeſſio fuerit translata? quaeſiuerunt. Quapropter in collateralium ſucceſſione et inueſtitura poſſeſſionis et traditio ipſius feudi Germanis non eadem ſemper fuerunt. Factum enim aliquando, vt alter dominium purum reique feudalis poſſeſſionem, alter eiusdem rei dominium vtile conditionatum vel verbis expreſſis vel tacitis ſine poſſeſſione fuerit conſequutus. Exemplo ſint Schenckii de Schweinsberg, qui ratione *der ſammtlehne* omnes, qui eius gentis ſunt, inaugurantur, nec patet è litteris inueſtiturae, quisnam eorum ſit feudi poſſeſſor, conſequutusque ſolus dominium vtile, et tamen tantum vnus et alter eorum feudi dominium vtile ratione redituum feudi habent.

Vſus diſtinctionis inter inueſtituram poſſeſſionis et feudi ipſius.

§. XXV.

Quare inueſtitura eſt vel ſingularis vel ſimultanea. Illa datur vni, haec vero pluribus coniunctim ſumtis. Alia hic Saxonum philoſophia, alia eorum, qui extra Saxoniam viuunt. Illi, quod ad collaterales, nullam ſtatuunt ſucceſſionem. Hi

Inueſtitura ſingularis et ſimultanea.

E vero

vero omnium eorum, qui a primo deſcendunt adquirente, rationem habuerunt, ita tamen, vt ſimultaneae inueſtiturae tamquam probationis, adgnatos a primo adquirente ortos eſſe, vſum aliquem ſtatuerent.

§. XXVI.

Alia ſimultanea inueſtitura Saxonica. Quid haec? Differentia eius ab euentuali.

Ab hac ſimultanea inueſtitura diuerſam eſſe Saxonicam illam, norunt omnes, docuitque hoc PRAESES parte I. *der kleinen ſchriften.* Eſt vero haec ſpecies pactitiae ſucceſſionis, quo dominus feudi, hac lege, ſi poſſeſſor feudi eiusque deſcendentes, obierint, condominium feudi alicui cum conſenſu vaſalli ſollemniter confert. Differt itaque haec ſimultanea inueſtitura ab illa, quam euentualem vocant. Haec ſine vaſalli poſſeſſoris conſenſu fit, et condominium tale tribuit inueſtito, quod demum caſu aperturae ſuam vim et efficaciam adipiſcitur. Quum contra in ſimultanea inueſtitura id condominium ratione contractuum feudalium ſuum oſtendit effectum. Vno verbo: feudi poſſeſſor habet dominium vtile, huiusque exercitium; ſimultanee inueſtitus condominus quidem eſt, ita tamen, vt condominii vtilis exercitio deſtituatur.

§. XXVII.

Illuſtrantur dicta.

Ex his igitur pateſcit, aliam eſſe ſimultaneae inueſtiturae indolem, aliam iterum euentualis ſiue conditionalis naturam. Nam per hanc inueſtitus ſub hac conditione condominium nanciſcitur, ſi nempe vaſallus eiusque heredes feudales deceſſerint.

rint. In illa interitus vasalli eiusue heredum feudalium non translationi condominii, sed huius exercitio tamquam conditio adiicitur; in hac, conditionali nimirum, ipsius condominii concessio, instar conditionis adposita videtur. In illa igitur condominium vtile sine conditione in simultanee inuestitum, in hac cum conditione in inuestitum transfertur. Ideo in hac tum condominii tum illius exercitii conditio ab euentu pendet. Per simultaneam vero inuestituram condominium purum in inuestitum transit, et eius exercitium tantum a conditione fuit suspensum, prout rem acute explicuit vir amplissimus GEORG. LVD. BOEHMER l. d. p. 36. Alia via incedendum ratus V. A. IO. GOTTFR. BAVER de *forma ac definitione communis Saxonum manus*.

Simultanea est pura, euentualis autem habetur conditionalis.

§. XXVIII.

Quapropter simultaneam inuestituram sine vasalli consensu neminem impetrare posse, vident omnes. Quum contra, euentualem inuestituram sine vasalli adsensu subsistere, certum est. Liquet ex his pariter et simultaneam inuestituram Saxonicam et eam, quae extra Saxoniam iurisque communis Germanici dicitur, inuestito condominium largiri. Vt adeo nunc discrimen inuestiturae purae et conditionalis in aprico positum esse, credam, quod negauit BOEHMERO V. C. IOAN. GOTTFR. BAVER *de indole et natura inuestiturae feudalis* §. VIII.

Iura simultanee inuestiti et eius sub conditione.

§. XXVIIII.

Renouatio inueſtiturae ratione vaſalli feudum poſſidentis, quid?

Paucis adhuc de inueſtiturae renouatione diſpiciendum. Duo haec complectitur capita, quorum primum in eo mihi deprehendere videor, vt dominus vaſallo propter ius in feudo ipſi conſtitutum, poſſeſſionem ſollemniter profiteatur. Vno verbo: dominus agnoſcit ius vaſalli in feudo ſollemni modo. Secundum vero huius negotii membrum in promiſſione fidei conſiſtit. Eſt itaque renouatio haec actus ſollemnis, quo dominus vaſallo, qui ius in feudo iam habet conſtitutum, poſſeſſionem eius attribuit, vaſallus autem pietatem ſuam domino obſtringit. Rationes huius iuris indicauit PRAESES parte I. *der kleinen ſchriften* obſ. II. Simultanee inueſtiti renouatio eſt confirmatio condominii in feudo, cum promiſſione fidei coniuncta.

CAPVT SECVNDVM.

QVO HODIERNI SYMBOLORVM VSVS DESCRIPTIONEM EXSEQVVTI SVMVS.

§. XXX.

Vſus hodiernus ſymbolorum cum in feudis regalibus, tum in minoribus.

Ne quis obſoleta minimi vſus praecepta capite ſuperiore me propoſuiſſe, putet, faciam, vt teſſerarum eiusmodi vſum hodiernum videant omnes. Age igitur, contemplemur tum feuda imperii, quae regalia vocant, tum equeſtria ſiue minora, quibus ordines regni ſuos inaugurare ſolent vaſallos.

§. XXXI.

§. XXXI.

Sumtuosa erat inauguratio illa sollemnis, qua ordines regni caesares sub dio, vexillis adhibitis, inuestire solebant. Veteres enim, reipublicae interesse, existimabant, iudicia etiam feudalia sub dio haberi, vt omnes intelligerent: quinam munera imperii summa ac praecipua gererent. NIC. HIER. GVNDLING *de feudis vexilli* §. 28. p. 64. Ideo regnantibus imperatoribus Carolo V. et in primis Ferdinando I. quidam procerum v. g. Saxoniae duces rogarunt, vt sumtibus parcatur, et inauguratio fieret in palatio caesaris. Cesserunt ii quorumdam precibus, et quum intra aedes vsus vexillorum plane incongruens videretur, gladii symbolum in vsum reuocarunt. Vltimus, quem prisco et sollemni Germanorum ritu sub dio inaugurauit anno CIƆIƆLXVI. imperator Maximilianus II. erat Augustus septemuir Saxo, metuens, ne Saxones adgnati contradicerent, quum frater tantum primi adquirentis esset.

Ratio, cur cessauerit inuestitura sub dio?

§. XXXII.

Ex ea re vniuersalis consuetudo introducta est, vt cunctis regni ordinibus tum ecclesiasticis tum saecularibus feuda, quae solii vocantur, gladio adhibito, ab imperatore tradi, credantur. Quid enim aliud sibi hoc vult, quum digitis attingunt pomum capuli, quam vt caesar vsu huius symboli se feudi possessionem rite tradere, significet. Breuitatis et reuerentiae signum est, quum ordines gladium in manus suas non sumunt. Maiestatis

Superest tamen in feudis imperii symbolica inuestitura. Osculi tessera.

iestatis signum, ne caesar illum e manu dimittat. Olim vasallo traditum gladium fuisse,. exemplo Mauritii Saxonis et Ioachimi II. Brandenburgici, septemuirorum constat. IO. CHRISTIAN. LÜNIG parte II. *theatri caerimonialis* p. 939. Immo vasallum capuli pomum tetigisse, obseruat IO. CASP. VENATOR p. 244. *des berichts vom Teutschen orden.* Et quid de imperatoris Friderici I. aetate dices, de qua GVNTHERVS libro I. *Ligurini* v. 551. sqq. de Daniae regis inauguratione canit:

Hic autem gladio regnum suscepit ab ipso.
Hunc enim longo seruatum tempore morem
Curia nostra tenet.

Accedit deinde osculi vsus, quo proceres regni pietatem suam siue fidelitatem caesari publice obstringunt.

§. XXXIII.

Dubium ab omissa gladii tactione

Hoc interea negari nequit, in relationibus historicis de principum inaugurationibus, quas larga manu suppeditauit IO. CHRIST. LÜNIG l. d., vasallo neque tradi gladium, neque ab illo digitis tangi, memoriae proditum esse. Immo Saxones in narratione de iuauguratione, cIɔIɔCLX. peracta, haec notarunt: *und that Ihro Kays. Maj. der oberhofmarschall das blosse schwerd überreichen, welches Ihro K. M. in die rechte hand nahmen, mit der lincken aber die lincke stange am schwerd berüherten, und damit des schwerdes knopf desto mehr vorwarts zu und zum kuß lencketen, welchen knopf wir*

wir alle fünfe küſſeten mit dem munde ohne adhibirung einiger hand. IO. IOACH. MÜLLER parte VII. *des ſtaats cabinets* p. 180. ſeq. Aſt ſat eſt, vidiſſe, quae fieri debeant, non quae fiant. *ſoluitur.*

§. XXXIIII.

Praeſentia officialium regni, veteris curiae memoria.

Veteris quoque inſtituti, quo in curia ſollemni inaugurabantur vaſalli, et hodieque in aula imperatoria veſtigia ſuperſunt, quum hereditariorum officialium praeſentia eſt neceſſaria. Enimuero ſollemnis curia non erat ſine horum officiis, caeſari exhibendis. PRAESES *de indicio principum* p. 10.

§. XXXV.

Symbolum ſimultanee inueſtitorum pallium.

Nouum inaugurationis ſiſto ſymbolum, iis vſitatum, qui vna cum aliis inaugurantur more beneficiario, atque pallium digitis attingentes, ſpem ſucceſſionis in feudo ſibi ſollemniter ſtipulantur. Vernacula lingua vocamus *den mantelgriff,* et Saxonibus et Brandenburgicis in aula imperatoria vſitatum. Narratio de inauguratione Brandenburgica apud IO. CHRIST. LÜNIGIVM parte II. *theatri caerimonialis* p. 974. haec habet: *der Culmbach-und Ansbachiſche geſandte aber, ſo hinter dem grafen von Dœnhof kniete, faſſete nur deſſen mantel an.* De Saxonibus teſtatur IO. SEBAST. MÜLLER pag. 629. *annalium Saxonicorum: inzwiſchen that der gevollmæchtigte wegen der fürſtlich Erneſtiniſcher hæuſer ratione der mitbelehenſchaft und geſammten hand den gewæhnlichen angriff.* De ſimultanea inueſtitura in Querfurtenſi principatu anno

anno cIↃ IↃC LXXXVIII. hunc ritum idem p. 580. l. d. notauit: *ſo daß der Weiſenfelſiſche næchſt an den teppicht-zu knien kam, deſſen mantel die zweyte reihe, die dritte reihe aber beyde mæntel von der zweyten reihe zu halten, angegriffen.* Et p. 430. ſeq. idem ritus legitur obſeruatus.

§. XXXVI.

Idem ſymbolum Francofurti ſuperſtes.

Apud Francofurtenſes traditionis ſymbolum habetur pallium. Ita enim clariſſimus AVCTOR *der anmerckungen über die Franckfurter reformation* p. 304. partis I.: *daß der æltere burgermeiſter - - ſeinen mantel nimmt, und ſelbigen dem verkæuffer, ſolchen anzufaſſen, darreichet, und nachdem derſelbe dieſes gethan, oberwehnter bürgermeiſter zu ihm ſpricht: ſo ſetze ich euch verkæuffer hiermit aus dem beſitz des verkaufften hauſes. Sodann muß auch der kæuffer vorgedachten mantel des æltern bürgermeiſters anrühren, welcher hierauf ebener maſſen denſelben angeredet: und euch kæuffern ſetze ich hiermit in das erkauffte haus ein.*

§. XXXVII.

Ordines regni, ſymbolis, adhibitis inaugurant clientes.

Neque principes quidam regni, ſuos inaugurantes vaſallos, hunc actum ſine ſymbolis fieri, voluerunt. Quocirca in aula Brunſuicenſi non tantum ſi de feudo illuſtri inueſtitura peragitur, praefertur vexillum, quod vaſallus, dum iureiurando ſuam obſtringit pietatem, digitis ſuis attingit, ſed, id etiam obſeruari, ſcimus, quum nobilis quidam inaugurandus, dummodo hic praeſens ſit, perilluſtris HENR. CHRISTIAN. SENCKENBERG

BERG *de feudis Brunſuicenſibus* p. 27. Si princeps Halberſtadienſis principem comitemue ritu beneficiario inaugurare ſolet, vexillum adhiberi, teſtatur IO. CHRIST. LÜNIG parte II. col. 1133. *c. l. F.*, nobiles autem digitis ſuis attingunt principis pileum, IDEM l. d. Curiam clientelarem Meiningenſem non nunquam vexillum adhibere, cui inſignia Saxonica intexta, notauit idem l. d. parte III. col. 1023.

§. XXXVIII.

In libello Meiningenſi, cui inſcriptum: *beſtand des poſſeſſorii die beleihung wegen Ilmen und Paulinzella betreffend*, pag. 124. narratio proſtat de inauguratione Schwarzburgica Coburgi anno clↄ Iↄ ccI. peracta, his verbis: *hierauf erfolgte .. die beleihung mit gewœhnlichen ſolennitæten der anrührung einer auf der tafel ausgebreiteten ſchwartzen und gelben ſeidenen lebensbinde*, et p. 140. ratione ſimultanee inueſtiti haec leguntur: *von herren abgeordneten nomine ſeines gnædigſten herrn principalens mit den gewœhnlichen ſolennitæten - - unter anrührung der ausgebreiteten lebensbinde, die geſammte hand an ſtatt Ilmen und Paulinzella bekennet.* Eamdem faſciam Gothae vſitatam, perhibet VITVS LVD. DE SECKENDORF p. 397. *des teutſchen fürſtenſtaats.* *Symbola Saxonum*

§. XXXVIIII.

Corbeienſis praeſul hoc ritu inaugurare ſolet duces Brunſuicenſes: *im namen der hochheiligen Dreyfaltigkeit, bey welchen worten er ſein auf dem* *et Corbeienſis.*

altar neben sich stehendes schwartz sammetes abts-biret dem vor ihm stehenden gesandten über das haupt, daß dasselbe kaum davon berühret wurde, hielte, und folglich wieder neben sich auf den altar setzte. Illustris AVGVSTINVS A LEYSER *de feudis Brunsuicensibus* §. 22. Compara ea, quae infra capite IIII. de Misnensis antistitis inuestitura sum dicturus.

§. XXXX.

Lauenburgicorum

De Lauenburgico ritu inuestiturae haec leguntur apud IO. CHRIST. LÜNIGIVM parte II. *corporis iuris feudalis* col. 1405.: *so wære dieses fürstenthums hergebrachter gewohnheit gemæß, daß die neuen lehnleute durch angreifung ihres gnædigsten lehnsherrn huts, ihrer lehnstücken halber vergewissert und in die possession gesetzet würden.*

§. XXXXI.

et Fuldensium.

Fuldensis curiae beneficiariae mos fert, vt comites et equites vasalli erectis digitis coram regimine aulico iurent, atque virgae apicem, *lehenscepter*, quem concilii huius praeses manu tenet, digitis contingant. IO. FRIED. SCHANNAT p. 35. *clientelae Fuldensis beneficiariae.*

§. XXXXII.

Alia symbola.

Alios ritus v. g. per surculum viridem, per culmum iam sileo. Legas autem, velim, clarissimum AVCTOREM *der anmerckungen über die Francfurter reformation* p. 306. RIVINVM *de emt. vend. et alien. nat. et diff.* §. XXII. IO. SCHILTERVM *exercitatione ad* π. VIII. p. 164.

§. XXXXIII.

§. XXXXIII.

Quum vero iuris Romani amor nimius ita inuasisset complures Germanos, vt his sorderent patria instituta, et haec nausearent, inde factum est, vt rituum ac symbolorum vsus cessaret. Dicerant enim e lege I. C. *de donationibus*, per litteras et instrumenta rem tradi posse. Quare litteras beneficiarias sufficere existimauerunt. Sic v. g. in Hassia ratione inaugurationis cessant cuncta inaugurationum symbola. *Veluti litterarum instrumenta.*

CAPVT TERTIVM.

DE LITTERIS BENEFICIARIIS HARVMQVE ORIGINE.

§. XXXXIIII.

Venio nunc ad litteras clientelares, quae sunt declaratio domini feudi scripta, qua hic, se quemdam ratione quarumdam rerum vasallum sibi constituisse, profitetur. Reciproca obligatio (reuersales) vasalli dicitur, qua hic ratione aliquarum rerum a domino quodam se inauguratum fuisse, per litteras declarat. Huius antapochae vetustior vsus, quam litterarum clientelarium, vt vel e IO. FRIDER. SCHANNATI *clientela Fuldensi beneficiaria* palam fit. Olim litterarum clientelarium nullus apud Germanos vsus. Quare I. *feudorum* X. cauetur, vt inuestitura per pares curiae probetur, nec alii inaugurationis testes admittantur. Delegit feudi dominus pares, quo vasalli beneficia sua in iudicio clientelari adipiscerentur. *Litterae clientelares quid? Reuersales quid? Non vsus litterarum beneficiariarum.*

Enimuero Germanos, res immobiles in iudicio tradere, solitos, iam alibi a me dictum, memini (§. XVII. seq.) Inde inualuit mos, vt postea litteris beneficiariis testes subscriberent pares.

§. XXXXV.

Probatur.

Dixi, nullas litteras clientelares veteribus Germanis vsitatas fuisse. Sat erat illis, descripsisse numerum et qualitatem beneficiorum. Quocirca libro III. *capitularium* §. LXXXV. col. 769. sancitum: „ vt non solum *beneficia* episcoporum vel abbatum, abbatissarum atque comitum siue vassorum nostrorum, sed etiam fisci nostri *describantur in breue.*" In caussas, cur litteras beneficiarias vasalli non acceperint, inquisiuit IACOBVS CAROLVS SPENER libro II. capite VIIII. *iuris publici* p. 127. Quum vero eas, quantum satis, §. VI. sq. indicaui, aliarum, quas iste protulit, recensione supersedere facile possum.

Vsus earum quando inualuerit?

Postea factum, vt, si cuidam beneficium tribueretur noua gratia, aut huic largitioni pacta quaedam adiicerentur, litteris hoc saeculo XI. mandarent. Docent me hoc tabulae imperatoris Henrici II. anno cIↃ XXIII. scriptae, quae leguntur p. 22. *codicis diplomatici Palatini* curante CAR. LVDOV. TOLNERO, ibi caesar: „ his fidelibus nostris, inquit, Ezzoni videlicet Palatino comiti nec non Ottoni comiti ea conditione *beneficiauimus* (IↃCLVI. mansos.)

§. XXXXVI.

Anno cIↃ LXXXXI. Philippus Galliae rex litteras beneficiarias dedit antistiti Rotomagensi, quae

quae apud LOVIS CHANTEREAV LE FEBVRE ita habent:

„ In nomine ſanĉte et indiuidue Trini- "
tatis. Ego PHILIPPVS Dei gratia *Fran-* "
corum rex concedo Abbatiam ſanĉti Mel- "
lonis de Ponte Iſare, Domino *Wilhelmo* "
Rotomagenſi Archiepiſcopo, et omnibus ſuc- "
ceſſoribus ſuis, et dono in *Fedium* ut eam "
de me et de ſucceſſoribus meis perpetue te- "
neant ad honorem et exaltationem ſanĉte "
Rotomagenſis Eccleſie. Sed et de Eccle- "
ſiis atque altaribus que ſunt in Vilcaſſino, "
de quibus prefatus Archiepiſcopus mon- "
ſtrare poterit reĉtitudinem Eccleſie ſue, "
concedo ei auxilium meum, fortitudinem, "
atque conſilium ſecundum iuſtitiam. Pre- "
ter hec etiam concedo et confirmo reddi- "
tionem illam, qua Gualterius Comes filius "
Drogonis Comitis reddidit Maurilio Roto- "
magenſi Archiepiſcopo, et omnibus ſucceſ- "
ſoribus ſuis totum illud quod pertinet ad "
Archidiaconatum de Vilcaſſino, ſiue in Ca- "
ſtello de Ponte Iſare, ſiue extra et quod- "
cumque ipſe ante hac in manu ſua detine- "
bat, vel aliquis per eum habebat, et poſſi- "
debat. Similiter et in Caluomonte, et re- "
liquis ſiue burgis, ſiue villis. Hanc, in- "
quam, redditionem tali ratione confirmo, "
ut, ſi eſt de *fedio* meo, de me illud habeat "
Rotomagenſis Archiepiſcopus; ſi vero eſt "
de Archiepiſcopatu, de Comite Norman- "

„ norum teneat, cuius eſt Archiepiſcopus. „ Hoc autem erit *ſeruitium*, quod pro prefato „ *fedio* faciet mihi Rotomagenſis Archiepiſcopus. Per ſingulos annos veniet ad „ unam ex *Curiis* meis, ſiue Beluacum, ſiue „ Pariſius, ſiue Siluanectum, ſi fecero eum „ conuenienter ſubmoneri, niſi ipſe legitimam excuſationem habuerit. Cum autem „ ad curiam meam venerit, mittam ei *conductum* ad Caluum montem, ſiue ad Pontem Iſare. Sed et ad *placita* mea veniet per „ Vilcaſſinum, ſi et ego eum inde fecero „ conuenienter ſubmoneri. Vt autem hec „ ratio omnibus tam preſentibus quam futuris fiat cognita, et carta hec firmitatem obtineat, nominis mei inſcriptione, et ſigilli „ mei impreſſione corroborari feci et premuniri. Anno M. XCI. ab Incarnatione „ Domini. Huic vero donationi interfuerunt ex mea quidem parte Wido Dapifer „ de Rochefort, et Adelelmus de Luſarces, „ et Gualterus Tirel, et Paganus de Nielfa, „ et Odo filius Walonis, et Hubertus Cancellarius meus: ex parte vero Archiepiſcopi Odmundus de Caluomonte, et Drogo „ filius Gualonis, et Ricardus de Pormor, et „ Fulbertus Archidiaconus, et Ricardus Capelanus, et Herbertus de Caluomonte, et „ Vrſo Canonicus, et Rogerus de Conſtantiis, et Wibertus Canonici. Signum † „ Philippi Regis. Signum † Walteri Tirelli. „ Signum

Signum † Pagani de Nielſa. Signum † "
Adelelmi de Luſarces. Signum Widonis "
Dapiferi † de Rochefort. "

Locus ſigilli, regem in ſolio praeferentis.

§. XXXXVII.

Apud Italos mos inualuerat, vt tabellio de inaugurationis ritu inſtrumentum conficeret. Primum, quod equidem offendi, ſaeculo XI. conſcriptum fuit anno videlicet CIↃLXXXXI., imperatore Henrico IIII. regnante. Edidit illud Italiae ſuae ornamentum LVDOV. ANTON. MVRATORIVS *antiquitatum Italicarum medii aeui* diſſertatione XI. col. 593. tomo I. his verbis:

Tabellionum instrumenta in Italia magis vetuſta, quam tabulae clientelares.

" Anno ab incarnatione Domini Milleſimo Nonageſimo Primo, die . . . Menſis Madii, Indictione XII. cum eſſet Domna Matilda, gratia Dei Ducatrix et Comitiſſa, Marchionis Bonifatii filia, in loco Sancti Çexarii, ibique Bernardum Vicarium Romane Eccleſie, et Parmenſis Epiſcopus cum ea, et Vgo Mantuanum Epiſcopum, et Vbaldum iudicem, et Gandulfum iudicem de Arcelada, et Guilielmum de Ferara, et Petrum Taurellum, et Vbertum Pre-Fantini, atque Vguidonem Azonis, Azo de Sala, Rainerium filium Bulgarelli, Albericum de Nonantula, Ribaldum de Vignola, et plures alii. In eorum preſentia inueſtiuit Dominus Landulfus Epiſcopus

" Sancti

„ Sanɕti Georgii de Ferrara Nordilum de
„ Caſtello Veteri, et eius filios, qui de eo
„ extiterint, de omnes res illas iuris Sanɕti
„ Georgii, ſicuti Conon de Colaone dedit in-
„ fra Plebibus Sanɕti Martini, et Plebe San-
„ ɕti Donati, et Plebe Sanɕti Georgii ad Ec-
„ cleſiam Sanɕti Georgii de Ferrara, vt pre-
„ fatum Nordilum, et eius filiis habeant et
„ teneant ex parte memorate Eccleſie nomi-
„ ne Feodi ſine omni contradiɕtione ſupra-
„ ſcripti Epiſcopi, et eius ſucceſſoribus. Ita
„ tamen ut ſeruiat Domne Matilde diebus vi-
„ te ſue, et poſt eius deceſſum ſeruiant Epi-
„ ſcopo et ſui ſucceſſores, ſine omni contra-
„ diɕtione Domne Matilde et eius heredibus.
„ Pena vero inter eos poſita fuit, quod ſi ſu-
„ praſcriptus Epiſcopus, vel ſuus ſucceſſor
„ tulerit prefatum Feodum prediɕto Nordilo,
„ vel ſuis filiis ſine conuiɕta culpa Feodum
„ perdendi obligauit ſe, ſuos ſucceſſores eſſe
„ - - - nomine pene Libram vnam auri opti-
„ mi. In preſentia ſupraſcriptorum teſtium
„ prediɕta domna Matilda fecit finem de pre-
„ nominatis rebus in manu Domni Landulfi
„ Epiſcopi, quod amplius non agerent, ne-
„ que cauſarent, neque ipſa, neque ſui he-
„ redes aduerſus Eccleſiam, neque Paſtorem
„ Eccleſie, vel cui ipſi dederint, pro timore
„ Dei, et anime ſue remedium.

„ Ego Dominicus Sacri Palatii Nota-
„ rius ſcripſi, et ſubſcribendo com-
„ pleui et interfui. „In

„ In Dei nomine Anno Chrifti MCLXX- “
VIII. temporibus Alexandri Papae, et Fe- “
derici Imperatoris, die X. exeunte Menfis “
Iunii, Indictione XI. Ferrarie in domo Epi- “
fcopi ego Horrifius Dei gratia fancte Fer- “
rarienfis Ecclefie Notarius hoc Inftrumento “
autenticum de veteri in nouo transcribo, “
nec plus minusue in hac carta nouationis “
defigno; quod reperi apud Albertum quon- “
dam fratrem Mangini filium Guizardi de “
Nordilio. “

§. XXXXVIII.

Idem col. 609. publicauit tabulas inueftiturae, a tabellione de inauguratione imperatoris Friderici I. fcriptas, quibus anno 1185. inueftiuit Guidonem, Rolandinum et Albertinum de Canoffa. Ibidem col. 605. habes tabellionis inftrumentum, anno 1189. perfcriptum, quo Opizo marchio Eftenfis inaugurauit beneficio quemdam Gregum. Anno 1195. imperator Henricus VI. Cremonenfibus inueftituram per lanceam et confanonem dedit, l. d. col. 621., et col. 622. habes commentarios de inueftitura, a pontifice anno 1201. peracta, qui, ad modum inftrumenti, a tabellione confecti, ita finiunt: “ poft haec mittens *manus fuas* inter “
manus ipfius domni papae, fecit ei ligium homi- “
num. Domnus autem papa inueftiuit eum de “
gratia fua cum cuppa argentea deaurata. “ Idem exhibet col. 613. inftrumentum tabellionis, quo hic fidem facit de inueftitura, quam pontifex Innocentius III. comiti Ildebrandino anno 1207. de-

dit. Anno 1225. Bonifacius comes Palatinus, Raynaldus et Gentilis filii eius, per pontificis mandatarium inaugurati, quod teſtantur tabellionis tabulae l. d. col. 615. Aliud inueſtiturae inſtrumentum edidit ille l. d. col. 607. anno 1252. ſcriptum a tabellione. Eius inſcriptio talis: inueſtitura feudi data Iacobino de Buxatis ab Azone Eſtenſi et Anconitano marchione. Aliud eodem anno perſcriptum inſtrumentum tabellionis beneficiarium legitur ibidem Daynesio cuidam, Zeni filio, datum.

§. XXXXVIIII.

Litterarum clientelarium primordia in Italia.

Satis de inaugurationum ritibus, de quibus tabellionum teſtantur tabulae. Ad cauſſam nunc veniam, atque de litteris clientelaribus Italorum agam. Prima, quae mihi quidem ſuccurrit, anno CIↃ CXXX. Lothario II. imperante fuit perſcripta, hunc in modum a LVDOV. ANT. MVRATORIO. l. d. col. 633. publicata:

„ In Dei nomine. Anno Dominice Incar-
„ nationis Milleſimo Centeſimo Triceſimo,
„ VII. menſis Iulii, Indictione VIII. Con-
„ ſtat me Domnum Gualterium, quamuis
„ indignus ſancte Rauennatis Eccleſie Archi-
„ epiſcopus, locaſſe et conceſſiſſe tibi Caual-
„ caconte Illuſtriſſimo Comiti Caſtri Britto-
„ norio, tuisque filiis legitimis tantum, hoc
„ eſt Caſtrum Brittonori cum toto ſuo teni-
„ mento, cum montibus et collibus, cum
„ plogetis et paſcuis, viis et ſemitis, cum
„ angariis et perangariis ſuis, cum villis et
„ villanis, ſicut videris nunc detinere in ma-
„ nibus,

nibus, aut etiam aliquis vobis tenet. Quod « ſi filios maſculos non habueris, in noſtro « Archiepiſcopatu redeat. Mortuis itaque « prediƈtis perſonis, ſi nepotes maſculos ha- « bueritis, iterum cum ſupraſcripta et ſub- « ſcripta conditione eis locetur. Pro eo quod « centum Libras bonorum Denariorum Lu- « cenſium nobis tribuis coram ſubſcriptis per- « ſonis. Et quando at Curiam Domini Pape « ego aut ſucceſſores mei ire voluerimus, « nobiscum venies cum expendio, quantum « in viƈtualibus. Et quando ſuper inimicos « noſtros oſtem facere voluerimus in parti- « bus Romanie, cum centum militibus in no- « ſtro ſeruitio venietis, et cum trecentis pe- « ditibus. Si citra Padum exercitum fecero, « cum viginti militibus ad noſtrum ſeruitium « venietis. Et quando placuerit Deo, ut « alium Archiepiſcopum eligatur, infra tri- « ginta dies fidelitatem ei facietis, et cum « ipſo ad eius expendium, quantum in viƈtua- « libus, ad conſecrationem illius ibitis. Se- « cretum, quod tibi patefaciemus, nulli noti- « ficetis ad noſtram dannietatem. Et ſi audie- « ritis de noſtro danno, aut de amiſſione vite, « aut de perſona noſtra, quam citius poteris « per tuum Nuntium nobis notificare ſtude- « bis. In morte vero tua equos tuos et omnia « tua arma mihi, vel ſucceſſoribus meis per « tuum Nuntium mittatur. Et pro eo, quod « multum mihi et ſucceſſoribus meis ſeruire « pro- «

„ promittis, et precibus tuorum militum,
„ et noſtrorum Fidelium, remittimus tibi tertiam partem de penſione, quam anteceſſores tui noſtro Archiepiſcopatui reddere ſolent, et in feſtiuitate Sancti Apollinaris octo Marabotinos dare pro penſione nobis promittis. Et ſi per biennium veſtra culpa ſteterit, quod penſionem non ſoluatis, cadatis a ſupraſcripta locatione. Et obligamus nos ad inuicem ſupraſcripti, videlicet ego Archiepiſcopus Gualterius, et ego Caualcacontes, omnia ſupraſcripta inter nos firma et rata tenere omni tempore ab omni perſona legialiter, et contra non venire, et omnia adimplere. Quod ſi hoc diſtulerimus vel agere, vel cauſare, vel contendere, vel minuere preſumſerimus, tunc dare et componere promittit pars parti ſeruanti fidem legitime centum boni auri Libras; et poſt penam ſolutam hec Carthula firma permaneat. “

Actum in Sarſena feliciter.

„ Signo manuum ſupraſcripti Archiepiſcopi et Comitis, qui hanc Catulam fieri rogauerunt. “

„ Signo manuum Rodulfi de Ponte marino, Petro de Peratiſſi, Maibrani de Veſſa, Petrus de Monte de Petra, et Rodulfinus de Ponte, et Landulfus Bulgarus, et Paſtalca, qui rogati ſunt teſtes. “

„ Ego Berardus Iudex et Notarius ex mea parte recognoui et compleui. “

§. L.

§. L.

Anno cIↄcxxxv. Vbertus, Piſanus antiſtes, litteras beneficiarias conſcribi iuſſit, quae leguntur ibidem *diſſertatione* XIIII. col. 707. Adrianus IIII. pontifex eiusmodi litteras anno cIↄ clvii. dedit comitibus Aldebrandino et Bernardino, idem l. d. *diſſertatione* XI. col. 631.

Aliae tabulae clientelares.

§. LI.

Eadem inſtituta ſequutus imperator Fridericus I., quum anno cIↄ clxxx. Philippum antiſtitem Colonienſem inauguraret parte Angariae atque Weſtphaliae. "Premoratum, ait, archiepiſcopum Philippum portione illa ducatus, ſue collata eccleſie *vexillo imperiali* ſolenniter inueſtimus," NICOL. SCHATEN parte I. *annalium Paderbornenſium* p. 851., AVBERTVS MIRAEVS parte II. *operum diplomaticorum* p. 1185. In litteris autem, quibus Henrico marchioni Auſtriae ducatum anno cIↄclvi. fuit largitus, inueſtiturae nulla infertur mentio. Vide diploma ipſum apud DV MONT *dans le grand corps diplomatique ou recueil des traitez de paix* tomo I. parte I. p. 81.

Earum vſus Friderico I. imperante.

§. LII.

Anno cIↄ clxxxviii. litteras beneficiarias dedit Philippus antiſtes Colonienſis comiti Palatino Rheni teſte CAR. LVDOV. TOLNERO p. 58. *codicis diplomatici Palatini*. Imperator Henricus VI. anno 1186. inueſtiuit Vlricum de Kyburg, idque per litteras fuit teſtatus, MARQVARD. HERRGOTT tomo II. *originum Habsburgicarum ſcriptarum*, p. 200.

Enumerantur exempla litterarum clientelarium, ſaeculo XII. regnante

Henrico VI. p. 200. Anno 1192. Henricus de Cuyk allodium Herpen cum filio suo ab Henrico Lotharingiae duce feudi iure accepit, testibus tabulis inuestiturae, quas seruat WERNHERI TESCHENMACHERI *codex diplomaticus annalium Cliuiae* p. 215. Mareschallo de Calatin feudum quoddam largitus est imperator Henricus VI., eique litteras dedit anno 1197. MART. CRVSIVS parte II. *der Schwæbischen chronic* p. 681. Charta quaedam, anno 1200. perscripta, testatur, quod Hugo Brunus comes et Radulphus comes Augii ligii homines facti sint Ioannis Angliae regis, THOM. RYMER tomo I. *actorum publicorum Anglicorum* p. 116. Huc refero instrumentum homagii, quod Arturus, Britaniae dux, praestitit anno cIↃ CCII. Philippo, Franciae regi, DV MONT. l. d. p. 129. et iusiurandum, quod Petrus Aragonum rex, regnum suum pontifici anno 1204. subiiciens, Innocentio III. iurauit, IO. CHRIST. LÜNIG parte IIII. *codicis diplomatici Italiae* p. 15.

§. LIII.

Philippo. Pariter ad rhombum facere videntur imperatoris Philippi tabulae Henrico I. Brabantiae duci anno 1204. datae, AVB. MIRAEVS tomo III. *operum* p. 75. Anno 1209. Philippus nobilis marchio Namurcensis et comes Alostanus homagium fecisse legitur Henrico I., Brabantiae duci, apud eumdem l. d. tomo I. p. 407. Ioannes comes de Brana, anno 1209. hominum fecit Blanchae, comiti Campaniae, teste tabula apud EMVND. MARTENE tomo I. *thesauri anecdotorum* p. 814. Legas,

gas, velim, pariter hominium consulum Barbentinorum Guilielmo Auenionensium praesuli iuratum eodem anno, apud eumdem l. d. p. 1092.

§. LIIII.

Imperator Otto IIII. anno 1210. Azonem marchionem Estensem de marchia Anconitana inuestiuit, IO. CHRIST. LÜNIG tomo I. *codicis Italiae diplomatici* p. 1565. Idem imperator anno 1209. diploma conscribi iussit, quo inaugurauit Petrum, Asculanum praesulem, et regalibus et comitatu, FERDIN. VGHELLVS tomo I. *Italiae sacrae* p. 462. Facit huc etiam charta de iureiurando fidelitatis obsequiosae Guilielmi de Caluigniaco, anno 1212. apud EM. MARTENE l. d. tomo I. p. 1106. et diploma, quo Otto IIII. Guilielmo comiti Flandriae anno 1213. feoda confirmat, apud eumdem l. d. p. 841. *et Ottone IIII.*

§. LV.

Anno 1214. imperator Fridericus II. Crafftium de Hohenlohe inuestiuit. Litteras seruat IO. CHRIST. LÜNIG p. 280. *specilegii saecularis* parte I. *des reichsarchivs.* Anno 1238. idem imperator Gottfrido de Hohenlohe litteras clientelares dedit, quas habes p. 10. *der beylagen der deduction: beweiß, daß die reichslehnbare immediate grafschaften fahnen und thronlehn seyn.* Idem inaugurauit ritu beneficiario Henricum Lotharingiae et Brabantiae ducem oppido Traiectensi ad Mosam, testibus litteris beneficiariis anno 1214. scriptis, apud LÜNIGIVM tomo II. *codicis Germaniae diplomatici* *Saeculi XIII. exempla, regnante Friderico II.*

tici p. 1087. Scriptae fuerunt anno 1225. litterae inueſtiturae Henrici epiſcopi Wormatienſis, quibus inaugurauit Ludouícum comitem Palatinum Rheni caſtro Heidelbergae et comitia Stalbühel, MARQ. FREHER *originum Palatinarum* P. I. p. 99. Imperator Fridericus anno 1227. Henricum marchionem Sauonae litteris clientelaribus inaugurauit, DV MONT. l. d. P. I. tomo I. p. 164. Charta Bernardi de hominio regi Francorum a comite Conuenarum anno 1227. praeſtito, legitur apud EM. MARTENE l. d. T. I. p. 1214. Notatu dignae litterae clientelares imperatoris Friderici II., quibus Sigfridum, Moguntinum antiſtitem, principatu Lauriſſenſi anno 1232. ſollemniter inaugurauit, perilluſtris VALENT. FERDIN. DE GVDENVS p. 512. *codicis diplomatici.* Anno 1249. Hartmannus ſenior et Hartmannus iunior quaedam bona feudalia contulerunt Henrico de Schoninwerde, MARQ. HERRGOTT l. d. T. 2. p. 289. Eodem anno feudales litteras dedit Eppenſteinio Conradus, antiſtes Colonienſis, apud GE. CHR. IOANNIS p. 280. *ſpecilegii.*

§. LVI.

Alphonſo Caſtiliano.

Litterae inueſtiturae, ab antiſtite Cenetenſi anno 1257. datae, leguntur apud FERDIN. VGHELLVM tomo V. *Italiae ſacrae* p. 191. Memoratu in primis digna illa inauguratio, et notandae ſunt litterae, hanc teſtantes, quas Alphonſus, rex Caſtellae, Friderico Lotharingiae duci anno 1258. conceſſit, et proſtant, praeter alios, apud GOTTOFRED. GVIL. DE LEIBNITZ parte I. *codicis*

codicis iuris gentium diplomatici p. 18. Imperatorem Richardum Philippo Falckensteinio anno 1257. litteras inuestiturae dedisse, patet e viri illustris GEORG. CHRIST. GEBAVERI *leben herrn Richards erwehlten Rœmischen kaysers* p. 342. Idem caesar, in tabula, quam anno 1260. dederat Vlrico comiti de Wirtenberg, commemorat litteras clientelares regis Wilhelmi, ab hoc caesare Wirtenbergico datas, l. d. p. 374. Ne dicam de celebratis tabulis clientelaribus imperatoris Richardi Ottocaro Bohemiae regi anno 1262. scriptis, quarum γνησιότητα erudite ostendit idem l, d. p. 424. Addendum quoque diploma Richardi, quo Petrum Sabaudiae comitem anno 1263. inuestiuit, SAM. GVICHENON. l. d. p. 74. Anno 1271. monasterium Cassinense litteras inuestiturae cuidam Nicolao dedit, ERASMVS GATTOLA p. 327. *historiae abbatiae Cassinensis.* Wernherus, Moguntinus antistes, litteras inuestiturae tradidit Reinhardo de Hanau anno 1261. parte II. *der beylagen der beschreibung der Hanau Müntzenbergischen lande* p. 23.

et Richardo regnantibus Germaniam.

I.

Origo litterarum beneficiariarum in Hassia.

Saeculo XIII. in Hassia vasallis litterae beneficiariae dari coeperunt. Primae, quas PRAESES vidit litteras beneficiarias, anno 1227. Marburgi perscriptae sunt, dignae, quae hic legantur:

Feudum castrense ex dato et oblato mixtum.

H. Dei gratia Thur. Lantgrauius, Saxon. Com. Pal. vniuersis hoc scriptum intuentibus salutem et omne bonum. Vniuersitati vestre

notum facimus, quod *Comites* de *Battenberg* *Witekindus* et *Hermannus* noſtri ſunt et erunt *auxiliatores* contra *quoslibet*, quodque nos eos tenere et adiuuare promiſimus contra quoslibet ad iuſticiam, et hoc ipſi *iuramento* confirmarunt, vnde eis damus *pecuniam* ducentarum marcarum eisque concedimus in *caſtrenſi feodo* X. talenta danda in feſto Sancte Walpurgis et ſancti Michaelis de *officio villicationis* noſtre in *Marburc*,. quicunque illud habuerit, ipſique in *Marburc* noſtri erunt *caſtellani* et duos in *vice* ſua ibidem habeant caſtellanos, cum preſentia eorum non eſt neceſſaria et abſentia eorum poteſt tolerari, caſtrumque eorum dictum *Kellerberc* nobis in *proprietatem dederunt* et a nobis in *feodo* receperunt tali, ſcilicet vt hoc tam *filie* quam *filii*, tam *mulieres* quam *viri* a nobis habeant perpetuo iure feodali. Igitur quidquid in Wettere bonorum in pignore habere ſe dicebant, vnde eis X. talenta ſoluebantur, nobis ſolutum dimiſerunt. Item quamcunque rationem aduerſus nos de hereditariis bonis habuerunt, gratie noſtre commiſerunt, donec de eisdem bonis eis reſtaurum fecerimus, quod ſi facere diſtulerimus, cum ſibi conſimilibus noſtris, videlicet liberis hominibus, nos amicabiliter debent admonere, vt eis vel reſtaurum faciamus, vel bona libere dimittamus, vel amiciciam ſiue iuſticiam de eis exhibeamus. Sique aliqui noſtri *miniſteriales* aliquid dictorum

X. librae.

Villicatio.

Vicarii caſtrenſes

Kellerberg.

Femininum feudum.

Dominus mouendus.

rum

rum hereditariorum bonorum habeant, nosque ea vel aliis bonis vel argento comparare velimus, eis presentibus et conſciis hoc eſt faciendum. Ita tamen vt alia bona vel argentum pro aliis bonis datum noſtri *miniſteriales* ab eis in *feodo* recipiant, ſicut et bona priora habuerunt. Preterea ſi aduerſum nos aliquid fecerint, quod nolint vel non poſſint infra ſex ebdomadas ter replicatas nobis emendare, infra quartas ſex ebdomadas *Marburc intrabunt*, inde non exituri noſtro niſi argento et quidquid a nobis habent reddito, et ſic a nobis penitus ſint abſoluti. Sique verſa vice aliquid contra eos fecerimus et cum nos cum liberis hominibus noſtris amicabiliter monuerint, et nos vel nolimus vel non poſſimus intra VI. ebdomadas ter replicatas cum eis componere, a nobis penitus ſint abſoluti. Item ſi ipſi aduerſum noſtros caſtellanos vel miniſteriales, ſiue noſtri *caſtellani* vel *miniſteriales* contra eos aliquid cauſe habuerint, pars vna ſuper alteram coram *noſtro iudicio* debet componere et iuſticiam exhibere vel accipere verſa vice. Hanc rem prefati comites iuramento et fide data confirmauerunt. Teſtes huius rei ſunt comes Hartradus de *Merenberc*. Dominus Gotſchalcus de *Pleſſe*. Dominus Heinricus de *Graueshaft*. Guntramus de *Marburc*. Bertohus Dapifer de *Slatheim*. Dominus Rudolfus de *Lichtenſtein*. Sifridus de *Bidenuelt*. Cunradus de *Wambach*. Hein-

Pactum obſtagii.

Domini iudicium in vaſallos.

ricus Scriptor, et alii quam plures. Ad huius rei firmitudinem hanc cartam nostro sigillo et sigillo prefatorum comitum dignam duximus communiri. Acta sunt hec in Marburc anno dominice incarnationis M. CC. XXVII. Indictione prima VIII. Cal. Aprilis.

II.

Anno 1233. Conradus, Thuringiae landgrauius, Gottofredo et Bertholdo, comitibus Ziegenhainensibus, clientelares litteras perscribi, iussit, PRAESES p. 40. *originum iuris publici Hassiaci.* Sophia landgrauia Bertholdum, Ziegenhainensem comitem, inuestiuit anno 1249. oppidis *Treysa* et *Wohra.* Anno 1289. Henricus I. landgrauius dynastam Limburgensem oppido *Limburgo* per litteras inuestiuit. Idem Vlricum ab Escheberch quatuor *marcis* denariorum per litteras inaugurauit. Frequens demum vsus eiusmodi litterarum factus, imperante Hermanno docto, landgrauio, qui anno 1413. obiit.

§. LVII.

Percensentur adhuc litterae clientelares saeculo XIII. scriptae, imperantibus Rudolpho I.

Imperator Rudolphus I. anno 1274. litteras clientelares dedit Ioanni, Lubecensi antistiti, IO. CHRIST. LÜNIG *spicilegii ecclesiastici des reichsarchivs* parte II. p. 319. Similes obtinuit anno 1276. Ortolphus abbas, WIGVL. HVND tomo II. *metropoleos Salisburgensis* p. 98. Eodem anno idem caesar litteras eiusmodi scriptas dedit Gottofredo de Sayn de castro Homburg, IO. CHRIST. LÜNIG *spicilegii saecularis* parte II. p. 984. Similes

miles nactus est dicto anno Ottocarus Bohemiae rex, MELCH. GOLDASTVS *de regno Bohemiae* p. 39. *appendicis*. Anno 1277. idem imperator Reinhardo de Hanau inuestiturae litteras est largitus ratione *Motin, beschreibung der Hanau Müntzenbergischen lande* p. 47. *der beylagen*. Et anno 1287. scriptas habes litteras clientelares Marquardi, praesulis Fuldensis, Vlrico de Hanau datas, p. 16. *der beylagen der gegenvorstellung wegen der Hanauischen lande von Hessen Darmstadt und Hanau.*

§. LVIII.

Sufficiat hoc de Rudolpho I. spicilegium. Adolphus Nassoicus anno 1292. litteras inuestiturae concessit regi Bohemiae, FRIDER. GVIL. DE SOMMERSBERG tomo I. *scriptorum rerum Silesiacarum* p. 941. et alia eiusdem Adolphi charta apud MELCH. GOLDASTVM l. d. p. 42. legitur. Sileo de Henrico Hassiae landgrauio, cui idem caesar litteras clientelares dedit, quas edidit PRAESES p. 63. sq. *originum iuris publici Hassiaci:* Adde similes tabulas beneficiarias, ab eodem Adolpho datas Marquardo im Kirchhof anno 1293., IO. CHRIST. LÜNIG. *parte speciali continuatione III. absatz I.* p. 213. *des reichsarchivs*. Idem rex anno eodem Gottofredo de Eppenstein litteras feudales dedit, *selecta Senckenbergiana* tomo I. p. 185. Eiusdem regis litterae inuestiturae pro Guidone, antistite Leodiensi, habes apud BARTHOLOM. FISEN tomo I. *historiae ecclesiae Leodiensis* p. 228.

et Adolpho Nassouio.

§. LVIIII.

Ratio, cur saeculo XIII. nondum adeo vſitatae litterae beneficiariae.

Saeculo XIIII. magis vſitatae eiusmodi litterae et ſaeculo XV.

Renouantes inueſtituram a Carolo IIII. litteras adipiſcuntur clienteſlares.

Ecce, beneuole lector, ſpecimen, quod te docebit, ſaeculo XIII. non adeo vſitatas litteras beneficiarias fuiſſe, quam vt vulgo ſibi perſuadent non nulli. Quum enim ordines regni publice ſub dio et ſollemniter in curia frequenti imperatorum inueſtirentur, non opus erat litteris beneficiariis. Senſim et pedetentim facta mutatio et temporis ſucceſſu ſaeculo XIIII. Inde ab imperatoris Alberti aetate ad Wenceslaum vsque mos impetrandi litteras clientelares magis tritus et vſitatus factus, adeo vt, Carolo IIII. imperante, renouatione inueſtiturae facta, etiam litterae beneficiariae dari coeptae, quum hae antea primum feuda adquirentibus potiſſimum dari ſunt ſolitae, illuſtris CHRISTIAN GOTTLIEB BVDER l. d. p. 137. Quare idem imperator Carolus anno 1348. duci Auſtriae feuda imperii de nouo contulit, eumque inueſtiuit, DV MONT. l. d. tomo I. parte II. p. 247. Idem caeſar anno 1249. Bernhardum principem Anhaltinum inueſtiuit, IO. GE. LEVCKFELD pag. 273. *antiquitatum Alſtedenſium.* Et, vt alia praetermittam, *formulae cancellariae imperatoris Caroli IIII.*, quae leguntur apud IO. GVIL. HOFFMANNVM parte II. *der ſammlung ungedruckter nachrichten* p. 5. §. 6. et §. 51. p. 57. ſqq. ſuggerunt eiusmodi litterarum exempla, quae de his, quae dixi, ſatis abunde teſtantur. Sic quinto decimo ſaeculo Hanoici comites ab imperatore Sigismundo primas inueſtiturae litteras generales ratione comitatus Hanoici anno CIↃCCCCXIII.

adepti

adepti sunt, *beschreibung der Hanau Müntzenbergischen lande* p. 1. *der beylagen*, quamuis imperator Carolus IIII. litteras beneficiarias lingua Germanica iam dederit anno 1351. comiti Hanoico l. d. p. 56. Imperatoris Alberti II. tabulae clientelares rarae sunt. Fallor, aut tantum duas vidi, altera enim anno 1438. inaugurauit Ioannem, praesulem Lubecensem, IO. CHRIST. LÜNIG parte II. *spicilegii ecclesiastici des reichsarchivs*, alteram dedit idem Guilielmo Montfortio comiti anno. 1439., DV MONT l. d. tomo III. parte I. p. 65.

§. LX.

Saeculi XV. hac in parte eadem, quae nunc litterarum client. facies.

Quod ad feuda imperii Hanoica attinet, inde ab imperatoris Friderici III. aetate et mortuo domino et mutato vasallo nouas litteras inaugurationis beneficiarias datas reperio *in der beschreibung der Hanau Müntzenbergischen lande* p. 2.-45. Et, si qua fides IO. CHRIST. LÜNIGIO parte II. *corporis iuris feudalis* col. 1790. Holsatiae ducibus ante Caroli V. tempora nullae tabulae clientelares datae.

§. LXI.

Breuissimae eiusmodi litterae, nec minus definitae. Quod duobus probatur

Breuissimas veterum tabulas beneficiarias fuisse, docet haec charta: " Nos Albertus Dei " gratia Romanorum rex semper Augustus. Ad " vniuersorum notitiam volumus peruenire quod " nos grata et fructuosa seruitia que nobilis vir N. " de N. fidelis noster dilectus nobis et imperio ha- " ctenus exhibuit, et in antea exhibere potest, " fauorabiliter intuentes sibi suisque heredibus "

feoda "

„ feoda nobis et imperio ex morte quondam Con-
„ radi de N. militis ad presens vacantia, que de
„ iure conferre possumus de nostra benignitate re-
„ gia *contulimus feodali titulo* perpetuo possidenda
„ presentium testimonio litterarum. Datum in
„ castris prope Hallis X. Kal. Augusti anno dn.
„ millesimo tricentesimo quinto regni vero nostri
„ anno septimo.

§. LXII.

exemplis. Ne mireris, nullum heic feudi nomen te reperire. Ea Germanorum diligentia non erat in scribendis inaugurationis beneficiariae litteris. Ita praesul Corbeiensis Brunsuicenses duces inuestit: *mit allen gütern, so vormahl die hertzogen - - von dem stift Corvey zu lehn gehabt. - - an landen, herrschaften, grafschaft, stædten, schlæssern, voigteyen, mit verbott und gebott, zehenden, wældern, hœltzern - - .* Ex quibus colligitur, non satis constare de feudis, quae sint Corbeiensia, illustris AVGVST. A LEYSER l. d. §. 22. Simile exemplum in Brandenburgico electore habemus, qui ab antistite Bambergensi inuestitur de feudis, ignarus, quae illa sint, addito tamen promisso: *er wolle getreuen fleiß anwenden, die stücke zu erfahren.* IO. GVIL. GAERTNER *de S. R. I. electorum in primis Saxoniae ducum feudis et officiis Bambergensibus* §. 11. p. 21. Sic PRAESES vidit litteras tales, quibus Raminii ab electore Brandenburgico inuestiuntur *mit den Raminenlehn.*

§. LXIII.

§. LXIII.

Formulae litterar. inuestiturae.

Quae interea hodierna tabularum beneficiarum forma et figura, docent complura earum exempla, quae ſuggerunt PRAESIDIS *kleiner ſchriften* pars I. p. 98. ſqq. et pars II. p. 214-239.

CAPVT QVARTVM.

DE LITTERIS QVIBVS VASALLI SE DOMINO SVO FIDEM SVAM OBSTRINXISSE PROFITENTVR VVLGO REVERSALIBVS.

§. LXIIII.

De reuerſalibus, vt vocant, litteris. Harum vetuſtiora exempla.

Mos inualuerat, ſaeculo potiſſimum duodecimo, vt vaſalli litteras ſcriberent, quibus pietatem ſuam obſtringebant domino. Factum id lego a Balduino Flandriae comite, qui anno 1196. eiusmodi tabulas dedit Philippo II. Galliae regi, IO. CHRIST. LÜNIG parte II. *codicis Germaniae diplomatici* col. 1905. Idem dicendum de Theoderico Montisbelgardi comite, qui anno 1228. fidem ſuam obligauit Matthaeo Lotharingiae duci, AVGVSTIN. CALMET *hiſtoire de Lorraine* tome II. col. 440. *des preuves*. Apud EM. MARTENE *veterum monumentorum* tomo I. col. 1240. proſtant litterae Andreae de Vitreio, de hominio facto domino regi anno 1230. Similes habes litteras l. d. col. 1274., a Guiberto de Tamines datas. Eodem anno 1230. Henricus, antiſtes Colonienſis, per litteras fidem ſuam dedit Henrico Brabantiae duci, ſuo feudi domino, IO. CHRIST. LÜNIG l. d.

tomo II. col. 1095. Sigfridus comes Blanckenburgensis anno 1242. similes dedit litteras antistitae sacrarum virginum Gandersheimensium, IO. CHRISTO. HARENBERG. p. 762. *historiae Gandersheimensis.* Anno 1258. Burchardus de Wolfenbütle praesuli Hildesiensi tales dedit litteras, PHIL. IVL. RETHMEYER p. 499. *der Braunschweigischen chronic.* Huc refero litteras hominii, a Raimundo de Baucio, principe Auriacae exhibitas anno 1274. Bertrando Tricastinensi episcopo, SCAEV. et LVDOV. SAMMARTHANI tomo I. *Galliae Christianae* p. 121. *instrumentorum*, ac Ludouici comitis Froburgii recognitionem feudi ab ecclesia Basileensi, MARQ. HERGOTT tomo III. *originum Habsburgicarum* p. 470. Sigfridus et Emicho fratres de Loewenstein anno 1310. Eberhardo comiti Cattimelibocensi eiusmodi dederunt litteras, quae leguntur pag. 118. *der beylagen* libri KVCHENBECKERIANI *von den Hessischen erbhofæmtern.*

§. LXV.

Memorabiles litterae eiusmodi, de inuestiturae ritu singulari testantes.

Ad memoriam insignes mihi videntur tabulae, quibus Fridericus Misniae marchio anno 1292. et Wenceslaus Bohemiae rex anno 1306., se beneficiarios esse praesulis Misnensis, profitentur. Leguntur ambae apud ATON. WECKIVM p. 157. et 161. *der beschreibung der residenz Dresden.* Inter alia memorat Wenceslaus: „ petiuimus et recepimus presentialiter eodem Alberto episcopo „ nos *inuestiente* per suum *capucium* de eisdem, „ adhibitis solennitatibus aliis, in talibus consuetis. "

Huc

Huc quoque faciunt litterae Agnetis Lotharingiae ducis, quibus ſe a comite Luxenburgico anno 1220. inauguratam beneficio, adfirmat, GOTTOFR. GVIL. DE LEIBNITZ parte II. *mantiſſae codicis iuris gentium diplomatici* p. 195. ſq. Similes litteras anno 1250. dedit imperatori Carolo IIII. Ludouicus marchio Brandenburgicus, FRID. GVIL. DE SOMMERSBERG l. d. tomo I. p. 985. Plura addere, nec libet nec licet. Tu, ſi placet, adi IO. FRIDER. SCHANNATI *clientelam Fuldenſem beneficiariam* p. 199. ſqq. In vnum locum coactam multitudinem mirabilem eiusmodi tabularum habes in libro, cui nomen: *gründliche unterſuchung der frage : ob die grafen und herren zu Hanau mit den von Carben in vergleichung zu ſtellen?* p. 199-478. Magna quoque illarum copia apud magnificum IOANNEM ADAMVM KOPPIVM *de inſigni differentia inter comites et nobiles immediatos* p. 380-432. reperitur.

§. LXVI.

Alia tamen facies eiusmodi litterarum promiſſoriarum olim erat, quam nunc eſt. Conferas velim vetuſtis hodierna, v. g. quae leguntur apud PRAESIDEM p. 78. ſeq. *originum iuris publici Haſſiaci*, et apud perilluſtrem VALENT. FERDIN. DE GVDENVS p. 702. ſq. *codicis diplomatici*, ac formulam hodiernam, quam ſeruat perilluſtris HENR. CHRISTIANVS DE SENCKENBERG p. 150. appendicis *iuris feudalis*. *Hodierna facies eiusmodi litterarum.*

 I. Eius-

I.

Antiquitas obligationum scriptarum in Hassia, et simultan. inuestiturae.

Eiusmodi obligatio vasalli Hassiaci, quam Ernestus de Rodeheim per litteras fuit testatus anno 1261., legitur apud IO. NICOL. HERTIVM parte III. *de feudis oblatis* p. 572. Ex his simul discas, velim, antiquitatem huiusmodi litterarum in Hassia, atque simultaneae inuestiturae ius, quo et vasalli coniux, et duo eius filii et duo cognati castro Blanckensteinio fuere clientelari ritu inaugurati.

CAPVT QVINTVM.

DE EFFECTV LITTERARVM BENEFICIARIARVM HODIERNO.

§. LXVII.

Effectus tabularum clientelarium, ius in re.

An litterae clientelares, quae vasallo traduntur, huic ius in re tribuant? iam in disceptationem vocandum videtur. Ego, si quid iudicare valeo, existimarem, adfirmandam esse, quam proposui, quaestionem. Peruidit hoc iam acumen viri illustris FRIDERICI ESAIAE PVFENDORFII p. 4. *obseruationum iuris vniuersi.* Enimuero hodierna inauguratio beneficiaria, quam per litteras peragunt, in locum successit veteris illius inuestiturae, quae in iudicio parium fiebat, adeoque huic nunc surrogata est. Quamobrem etiam naturam eius recepisse videtur, cui surrogata fuit. Iam vero et Romanis (§. XXXXIII.) et Germanis traditiones per chartas fieri recte posse, placuit (conf. §. VI.).

Ne

Ne dicam, inueſtituras hodiernas iudiciales adhuc eſſe. Nam a curia clientelari vaſallo traduntur litterae beneficiariae; illa autem partes iudicii feudalis veteris hodie ſuſcipere ſolet.

§. LXVIII.

Verum enimuero obloqueris mihi, aisque, te haud perſpicere, inueſtituram iſtam vetuſtam ius in re attribuiſſe vaſallo. Pernegant enim hoc et CASPARVS BITSCHIVS p. 222. *commentarii in conſuetudines feudorum*, et GEORGIVS ADAMVS STRVVIVS capite VIII. *ſyntagmatis iuris feudalis* §. 9. n. 1. et filius eius, BVRCHARDVS GOTTHELFFIVS p. 375. *iurisprudentiae feudalis.* Vtique, ſi rem ex iuris Romani praeceptis aeſtimes (§. XV.), neganda videtur quaeſtio. Licet ſint iurium periti, v. g. CORNEL. VAN ECK, qui inductionem in vacuam poſſeſſionem non requirunt. Accedit L. 9. §. 3. D. *de adquirendo rerum dominio* auctoritas, quae iubet, nihil tam conueniens eſſe naturali aequitati, quam voluntatem domini, qua rem ſuam in alium transfert, ratam haberi. Immo quis neſcit, Romanos in ceſſione iuris non deſideraſſe rem naturaliter praeſentem? Et quid opus eſt verbis, vbi mores adſunt, qui vim legis habere intelliguntur? Quis ſtatuet Germanos ſua negotia exegiſſe ad modum Romanarum hypotheſium? Dependent eiusmodi ex gentis cuiusuis arbitrio et conſuetudine. Teutones fuiſſe caudices et peponem pro corde, ac fungum pro cerebro geſtaſſe, nemo facile credet. Sat eſt, Germanis placuiſſe, dominorumque feudi

Dubium in medium profectum,

& ſoluitur.

di fuiſſe legitimam voluntatem, vt dominium et poſſeſſio per inueſtituram in vaſallum tranſeat, quamprimum ei porrigitur rei tradendae ſymbolum. Vera igitur eſt inueſtitura, ſiue in fundum naturaliter praeſentem inducatur vaſallus, et ſic corpore atque animo adprehendat poſſeſſionem: ſiue verbis hoc fiat, ſiue, vti moris eſt apud Teutones, ſymbolo hoc perficiatur. Sufficit, voluntatem domini inueſtientis hic ſupplere, quod naturali deeſt adprehenſioni. At, dicis, tradi dominium ſymbolo, non poſſeſſionem. Fuerunt profecto apud Romanos negotia, in quibus ad dominii translationem non requirebant naturalem adprehenſionem, ſed ſolam voluntatem ſufficere, cenſebant. Docet hoc L. 9. D. *de donationibus*. Probant hoc aliae viſiones a PETRO DVIRSEMA libro II. *coniecturalium iuris ciuilis* p. 181. ſq. explicatae. Sequuti Germani ſimplicitatem naturalem, nec tam acute, vt Romani, ſunt philoſophati. Nam ad dominium, in alterum transferendum, naturaliter non exigi traditionem, credebant; et hac, iure naturae, haud eſſe opus, docuit HVGO GROTIVS *de iure belli ac pacis* libro II. capite II. §. 1. et capite XIII. §. 25. Quis iam negare auſit, per inueſtituram ſymbolicam dominium transferri poſſe? Verum inſtas, diciſque, poſſeſſionem per ſymbolum dari non poſſe. Et, ſatis eſſe, credo, quod Germani poſſidentem habuerint eum, qui erat inueſtitus. Lex, pro qua eſt voluntas domini inueſtientis, vult, vt inueſtitus ſit in poſſeſſione.

§. LXVIIII.

§. LXVIIII.

Actiones, ex inuestitura orientes.

Ergo, qui rite inauguratum turbat, ſpolii reus eſt. Qui fuit depulſus poſſeſſione feudi, quo erat legitime a domino inueſtitus, remediis iuris poſſeſſoriis recte vtitur. Et ſi de vindicando feudo cogitat, rei vindicatio ei ſuppetit. Vno verbo, qui legitime inueſtitus, et remediis poſſeſſoriis et petitoriis experiri in iure poteſt. Teutones enim maximum cum poſſeſſionis tum dominii vtilis firmamentum reputabant inueſtituram. Nihil magis ſtabilire et ſolidare cenſebant poſſeſſionem et dominium vtile, quam inauguratione beneficiaria hoc fit. Quapropter ipſi fratres in familiae erciſcundae iudicio inueſtituram arctum et aptum vinculum exiſtimabant, quo alter alteri ſuae portionis poſſeſſionem et dominium confirmabat, prout docuit vir illuſtris IO. ADAMVS KOPP p. 121. *der auserleſenen proben des teutſchen lehnrechts.*

§. LXX.

Confutantur diſſentientes, qui inueſtituram ius in re tribuere, negant.

Tricas profecto, tramas putidas, caſſam glandem et curculiunculos minutos fabulantur, qui cum THOMA MERCKELBACHIO tomo I. *conſiliorum* CASPARIS KLOCKII conſilio VII. n. 370. ſqq. inueſtituram neque ius in re neque poſſeſſionem inueſtito largiri, garriunt. Cauſſam confuſionis NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS *de feudis vexilli* §. XXVII. p. 63. recte petiit a confuſione iuris Romani et inſtitutorum Germanicorum. Verumtamen, inquit ille, non ſolis Romuli nepotibus animi ſenſus rectus, nec adeo effoeta

